


PURA MENTE
NEC CAPIT NEC CUPIT
SINE PECTORE CORPUS
MEDICASTERCULUS
IN SPE & SILENTIO
NON OMNIA OMNES
CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI
ONOGRAPHIA CURIOSA
Francofurti ad Moenum.
1695.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI

De

ASINO

Liber
Historico - Physico - Medicus,
ad normam
IMPERIALIS
ACADEMIÆ CÆS.
LEOPOLDINÆ
NAT. CURIOS.
scriptus,
Variisque observationibus, memorabilibus & curiositatibus conspersus,

Cum gratia & privilegio Cæs. perpetuo.





FRANCOFURTI AD MOENUM,
Impensis JOH. DAVID. ZUNNERI.

ANNO M. DC. XCV.





AMPLISSIMO,
PRUDENTISSIMO, SPECTATISSIMOQUE

COLLEGIO SENATORIO

In Illuſtri & Inclyta noſtra
FERRARIA,
Dominis, Fautoribus, & Amicis plurimùm colendis,
VITAM ET SALUTEM!

MIrabimini ſanè, VIRI VENERANDI, quòd nunc demum beſtiam hanc, ſiniſterrimâ plebis cenſurâ, vilem, ſtupidam, ſordidamq; vobis offeram.

Atat, exploſo deliramento iſto, & re, uti fas eſt, curatiùs penſiculatâ, æquiora & dexteriora præſtolabor judicia. Annon Deus unô eodemque die (a) *aſinum* & hominem fecit in ſapientia ſua? (b) et ecce! uterq; erat valde bonus. (c) Illum qui ſpreverit, ſummam Creatori facit injuriam, ſeque *hominis* nomine indignum. Nemo quippe jure dici poteſt *homo*, niſi qui *ſapiens* ſit. (d) Talis autem amat ſcrutatùrque mirabilia opera Domini. (e) *Aſinum* ſiſto *curioſum*, i. e. ſublimioris ingenii Doctorem, catæ ſimplicitatis Magiſtrum, patientiæ Candidatum, bonæque mentis alumnum, frugalitatis interpretem, φιλοπονίας exemplar, αὐταρκείας ſpecimen, pruden-

tiæ,

(a) Gen. I. 25. (b) Pſ. CIV. 24. (c) Gen. I. 31. (d) Lactant. L. IV. inſtit. divin. c. 1. (e) Pſ. CXXXIX. v. 14.

tiæ, justitiæ, modestiæ, fideique Professorem; *Asinum*, insto, summo honore cultum à Deo, stupendis miraculis, illustrissimisque vaticiniis, aliisque portentis & ostentis inclytum, legibus typisque divinis clarum, venustissimum boni Christiani & optimi civis emblema: *asinum*, cui sacra Majores nostri fecêre, qui tot urbibus, castris, aliisq; locis, & nobilibus pariter ac plebejis familiis, nomina et firmamenta sua dedit; quem Principes Viri in insignibus suis, moneta, picturis & statuis gloriosè ostentant, eiq; monumenta posuêre omni ære perenniora: *asinum*, cujus occursus memorabilis, et plerisque faustus, quique in omni ferè morbo medicas affert manus. Vivum enim mortuumq; simul prodest et delectat animal

Deo et hominibus carum, summumque Illius et Naturæ miraculum. Qui omnia bene fecit, etiam *asinum* admirabilem fecit. In hoc saltem deliquisse fertur simplex bestia, quòd judicium aliquando ineptum tulerit, præferens *cuculi* vocem philomelæ. Sed annon labimur omnes? Cur verò tale animal selegisti? rogabit fortè non nemo: candidè tibi dicam. Cùm, pio Galeni judicio, (f) ἅπαντα τῆς φύσεως ἔργα θαυμαστὰ sint, utique ὄνος mihi πόνος. Salomo, Physicorum Primâs non tantùm disputabat de *cedris* in Libano, sed etiam de *reptilibus*, de *jumentis*, et esob. (g) Quàm pusillum insectulum *apicula*, cujus naturam et usum tamen quinquaginta et octo annis non exhausit *Aristo-*

(f) L. XV. U. P. c. 6. (g) I. Reg. IV. v. 29. seqq. Conf. P. I. meiner zeitkürtzenden Lust. them. 181.

Ariſtomachus Solenſis. (h) *Sacer labor eſt, qui Naturæ fatigat ſpeculatores. Verè Phyſici tot Deo cantant hymnos, quot movent diſcurſus, tot ei ferunt libamina, quot edunt volumina.* (i) At heu mihi, quantulum eſt, quod ſcimus, et quantum contrà, quod ignoramus. Ceterùm Hippocrates Medicum vult eſſe φυσικὸν. Vix compreſſeritis riſum, ſi *vilem aſellum anumque decrepitam*, unum trahentes vomerem, apud Plinium (k) videatis. Sed infauſta hujusmodi conjugia nil novi ſub Sole. Siſtit Galenus (l) λογιάτρους, *ſermone Medicos*, qui quidem Medici videntur, ſed inepti ſunt ad faciendum. Hos Cous (m) τῷ ὀνόματι Ἰητροὺς, *nomine-tenus Medicos* vocat, ſeu κατὰ νόμον, *ex opinione*

)(4 *plebis*

(h) Plin. L. XI. N. H. c. 9. (i) Sperling. L. I. Inſtit. Phyſ. c. 1. qu. 1. (k) L. XVII. cap. 5. (l) lib. de purg. fac. cap. 5. (m) lib. de arte 5. 45.

plebis, vel consvetudine. Docti contra, periti, prudentesque, qui *nec temerè, nec timidè*, sed *consiliô & industriâ*, cuncta aggrediuntur, sunt φυσικοὶ, seu κτ' φύσιν, secundùm *naturam*, h. e. secundùm *ipsius rei veritatem*. Non sufficit ad Medicinam factitandam universalium Artis praeceptorum cognitio, sed *plus ultra*: cujusque rei naturam, causas et usum rofundiùs inspiciant, qui φυσικοὶ e. τῶν Ἰατρῶν χαρίεντες, (n) juxta Casaubonum (o) *nobilissimi Medicorum* esse cupiunt. Tales quippe Deus honorari jussit honoribus debitis, (p) scitè expositis à *Roder.* à *Castro.* (q) Sed quò dilabor? Si Vos, VIRI VENERANDI, schedion hocce meum, purâ mente ma-

nûque

(n) Arist. I. Ethic. 10. (o) in epist. ad Ducaeum. (p) Syr. XXXVIII. 1. seqq. (q) L. I. Med. Polit. cap. 9.

nûque officiosâ Vobis inſcriptum, exporrectâ fronte ſuſceperitis, in ſinu gaudebo, quaſi capram cœleſtem orientem ſaliente conſpexiſſem ſupercilio. DEUS VOS SERVET! DOMINUS EXERCITUUM VOS CUSTODIAT! Ita ʽολοκαρδίως vovet

Ampliß. Veſtr. Colleg.

omni fide & officio

devinctiſſimus

C. F. Paullini.





LECTORI MEO,

Æquo ùt iniquo,
Fido & invido,

Salutem & gaudium in JESU Crucifixo!



Abent hunc morem *nobilia* ingenia, ut nonnunquam in argumento *tenui*; *ridiculo* & παραδόξω vires suas periclitentur, & ludo quasi insititio seria atque ordinata temperent aut fallant. (a) Sic ranarum & murium pugnam describunt *Homerus*, *Elisius Calentius*, & *Henricus Smetius*; pulicem commendant *Ovidius*, *Cælius Calcagninus*, *Petrus Gallisardus*, *Ludovicus Bochellus*, *Barrabas Brissonius*, *Iosephus Scaliger*, *Iacobus Mangotius*, *Nicolaus Rapinus*, *Hieronymus Angerianus*, *Frid. Taubmannus*, *Adam Th. Siberus*, *Salomon Frencelus*, & *Opizius Ioco-serius*: (b) Culicem *P. Virgil. Maro*, *Ange-*

(a) Taubmann. in Culic. p. m. 146. (b) in singul. dissert. excus. Marburgi 1688.

Angelus Politianus, *Cœl. Calcagninus*, & alii: Vulpeculas ſcholaſticas *M. VVolfgang. Heider* & alii: (c) Muſcam dabunt *Lucianus*, *Andreas Dactius* & *Franciſcus Scribanus*: Gryllum *Iacob. Eyndius* & *Canterus*; extat etiam de gryllo *Certaldæ* mulieris oratio funebris in proſa & vorſa: Scarabæum ſiſtunt *Vlyſſes Aldrovandus* & *Caſpar Dornavius*: Pediculum *Guilielmus Canterus* & *Daniel Heinſius*: Luti encomium conſignavit *Ioannes Magoragius*: Podicis laudes dixit *Calcagninus*: de latrina ſcripſit *Carolus Liebard*: de crepitu ventris *Rudolfus Goclenius* & *Bombardus Stevvitzius*: Cœcitatem extollit *Paſſeratius*, mendacium Idem, & *Elias Major*: Bellum *Thomas Lineus Buſcus*: Umbram *Ianus Douſa*, *Iacobus Micyllus*, *Ioannes Vowverus*, queîs adde venuſtiſſimam diſputationem de umbra *M. Chriſtiani Grünebergii*, Matheſ. PP. Francofurti cis Viadrum. De invidia diſſeruit *Dornavius* & *Flor. Schonhovus*, de lana caprina *Menalcas Caprimulgus*, de nugis *Ioann. Paſſeratius*, de utopia *Thomas Morus*, de nemine *Vlricus ab Hutten*, *Theodor. Marcilius* & *Ioannes Hulderic. Grobius*: de nihilo *Goclenius*, *Paſſeratius*, *Æmilius Portus*, & *I. Balthaſ. Schuppius*:

)(6 Febrem

(c) in Amphitheatro ſapient. Dornav. T. I. pag. 555. ſeqq.

Febrem quartanam prædicat *Menapius Insulanus*, ebrietatem *Christophorus Hagendorphinus*, *Gerardus Bucoldianus*, & *Robertus Turnerus* Jesuita: Barbariem *Hermolaus Barbarus* & *Melemannus*: Podagram *Lucianus*, *Erasmus Roterodamus*, *Birkheimer.*, *Hieron. Cardanus*, *Joannes Cornarius*, *Iacob. Pontanus*, & alii: Stultitiam Idem *Erasmus*, injustitiam *Trasymachus*, *Carneades*, *M. Christoph. Neander*: Imò de laudibus Sodomiæ scripsit *Cusa*, (d) & non nemo in laudem diaboli. (e) Sic *Cipolus* monachus de asino ponocrate orationem funebrem habuit, quam, interprete *Cantero*, dedit *Dornavius*; (f) eandem versû heroico reddidit *Iacob. Eyndius* ab *Hæmstede* Zelandus. Elogium asini scripsêre in prosa *Henricus Cornelius Agrippa à Nettesheym*, *Passeratius*, *Daniel Heinsius*, (g) & *Anonymus*, qui S. P. Q. eorum inscripsit, qui ignari omnium scientias literasque hoc tempore contemnunt: (h) in vorsa *Ioann. Lauterbach* in Noscowitz JC. Saxonicus. Adde laudes asinas *Ausonii*, *D. Mich. VValteri*, Superint. General. in Ducatu Lyneburgico &c. Gigantes clamore

(d) vid. colloqu. menstr. 1694. p. 301. (e) vid. Dn. R. Lust=Redner §. 1. p. 8. edit. Merseburg. 1688. (f) T. I. Amphitheatr. pag. 493. seqq. (g) vid. Placcij tract. de Anonymis p. 64. (h) Lugdun. Batav. impress. 1623.

clamore aſini diſſipatos producet *Philippus Melanthon*, aſinum Cumanum & Noæ vide apud *Ioann. Majorem*: de agaſone cecinit *Frid. VVidebramus*: ὄνου ἐπίτονον affert *Ioann. Stigelius*, de nobilitate aſini diſcurſum edidit Italus, ſatisque prolixum vide ſis apud *Dornavium*; (i) de aſino Bileami *M. Ioann. VVilhelm. Hilliger.*, de aſino Meſſiæ vectore *D. Ioann. Benedict. Carpzovius*, Theol. Prof. Lipſienſis. Exſtat etiam in *VVilhelmi Helderi mure exenterato* (k) ſermo monachi encomiaſticus ad aſinos, ex SS. locis conſarcinatus, quem tamen abs Autore confictum puto. Quis igitur noſtrum mordebit *aſinum*, ad normam *Acad. Caſ. Leopoldinæ* (titubante licèt crenâ) deſcriptum, & abs omnium, quotquot recenſui, Eruditorum *aſinis* diverſum, parvum & domeſticum, (mulas enim non curo,) licèt cum ſplendidioribus ingeniis, curtæ meæ ſupellectilis probè memor, minimè certare valeam. Cùm *bovem* non poſſim, *aſinum* agitabo, ut *nunquam otioſus*, vel ab *aſino* excuſſus, reperiar. *Magnum profectò eſt*, vel Cajo Plinio Secundo judice, (l) *in manus hominum aliquid dare, ut doctis & gravibus Viris placeat.* Cùm tamen ſchedæ noſtræ cordatis non adeò diſplicuerint hactenus, eandem ſortem præ-

(i) l. c. p. 564. ſeqq. (k) p. 31. ſeq. (l) L. VII. epiſt. 7.



præstolabitur bestia hæc. Placuisse autem *anguillam* (m) *leporem,* (n) *canem,* (o) *bufonemque,* (p) non sine gratâ mente recordor. In omni creatura Deus est mirabilis : in singulis τὸ θεῖον, (q) καί τι θαυμαστόν. (r) *Attendat caritas vestra, qui disposuit membra* culicis & pulicis, *ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum: unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quam volueris, sic consideres ordinem membrorum ipsius & animationem vitæ, quâ movetur, ut per se fugiat mortem, amet vitam, appetat voluptates, exerat sensus diversos, vigeat in motu sibi congruo: quis dedit* aculeum culici, *quô sanguinem sugat? quàm* tenuis fistula *est, quâ sorbet? quis disposuit ista? expavescis in minimis? lauda Deum magnum: hoc enim nemo Vos de fide excutiet & de sana doctrina; qui fecit in cœlo* angelum, *ipse fecit in terra* vermiculum; angelum *in cœlo pro* habitatione cœlesti, vermiculum *in terra pro* habitatione terrestri. Totum ergò hoc attende,

totum

(m) Colloqu. menstr. 1689. p. 1030. (n) anno 1692. pag. 349. seqq. & in hist. literar. D. Valentini Dec. III. ann. I. Eph. curios. annex. (o) Vid. D. D. Franci præfat. ad pathol. animat. Langii, & D. D. Hannemann. obs. 85. Dec. II. ann. V. (p) D. Gründel. Dec. II. ann. VIII. pag. 236. (q) Arist. L. VII. Eth. 14. (r) L. I. P. A. c. 5.

totum lauda, totum crede, ait *S. Augustin.* (s) Et *Galenus*: (t) *neque in solo homine tanta est Opificis ars & providentia, sed in quocunque animali: & quantò ipsum minus fuerit, tantò majorem sui excitabit admirationem. Nihil tam* parvum *est, quod non* gloriam *parere possit*; (u) & nihil tam abjectum aut sordidum, quod non speculationes mereatur assiduas, licèt nos miselli etiam in tenui rerum luce *caligemus*: in mediocri sanè *cæcutimus*, in majori *cæci* sumus, & in maxima prorsus *insanimus*. (w) Sed omnes nostræ meditationes, juxta Apostoli (x) monitum, ad majorem Dei gloriam collimente, sin: comparabimur *asinis*, triticum ad molas portantibus. Recti namque officii nostri ignoramus finem. (y) Verè & pulcrè *Seneca*: (z) *curiosum*, ait, *nobis natura ingenium dedit, & artis, sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos genuit, perditura sui fructum, si tàm magna, tàm clara, tàm subtiliter ducta solitudini ostenderet. Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat, ne tanta Ejus opera sine teste sint?* Piè etiam Pergamenus: (a) *Quem ego,* δημιουργήσαντος *nostri* ὕμνον ἀληθινὸν *compono, existimoque, in hoc esse* εὐσέβειαν,

(s) super Psalm. CXLVIII. (t) L. XVII. U. P. c. 1. (u) Plin. L. XV. cap. 14. (w) Scalig. exercit. 131. Sect. 1. (x) Coloss. III. 17. (y) Idem exercit. 355. (z) libr. de vita beata c. 32. (a) L. III. U. P. c. 10.

non si taurorum hecatombas ipse plurimas sacrificaverim, aut casias, aliaque odoramenta suffumigaverim: sed si noverim ipse primus, deinde & aliis exposuerim, quænam sit ipsius sapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Agè igitur *purâ mente* laudabimus Dominum in omnibus operibus suis. *Ovis,* mens ignara doli, fumum nescit fucumque. Solus *candor* Deo placet. (b) *Asinus* ubique inter simias & apes grassatur. Verùm *innocentiâ & sanctitate Deus lætatur, gratiorque existimatur, qui delubris ejus* puram *castamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.* (c) Fronti nulla fides: foris Helena, intus Hecuba. Quare μέμνησο ἀπιςεῖν, *Epicharmi* monito. *In spe & silentio* fortitudo nostra: (d) ὡς λυπούμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες. (e)

Inter spem curamque, timores *inter &* iras,
omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora. (f)

Et licèt Virtus hodie post nummos, & doctrina, μόνον istud ἀθάνατον καὶ θεῖον, (g) algâ vilior sit, nihil tamen *beatius quàm scire, nihil divinius, quàm docere, nihil propius veritati, quàm discere.*

(b) I. Chron. XXX. 17. (c) Plin. panegyr. ad Trajan. (d) Esa. XXX. 15. (e) I. Cor. VI. 10. (f) Horat. I. epist. 4. (g) Plutarch. de pædia p. 23.

re. (h) *Antheus*, Rex Scytharum, cùm *Ismenidem*, tibicinem inter Græcos optimum, bello cepisset, illum canere, se præsente & audiente, jussit. Ceteris omnibus artem hominis admirantibus, ipse juravit per ventum & acinacem, sibi jucundius esse audire hinnitum equi. (i) Sic ὄν☉· ὄνῳ κάλλιϛος: mulus mulum scabit, Stultus stulto pulcherrimus. (k) Ineptum videbatur *Antistheni*, aratro junxisse *asinos*. At hujusmodi stultas connexiones spectamus ubique. Facilè expugnatur castrum, modò *asinus* auro onustus intrare queat: (l) *aurum per medios satellites ire, & perrumpere amat saxa, potentius ictu fulmineo.* (m) Scitè, quisquis etiam ille:

Intus quis? tu quis? aperi: quid quæris? ut intrem;
fers aliquid? nihil. Esto foras: fero; quid? satis: intra.

Fuit seculum, quô Principes, Illustres, & Nobiles Viri, gradus scholasticos modestè ambientes, iisdem solenniter ornari gaudebant. At nunc cuncta inversa dolemus. Quò abiit priscus *candor?* ubi vagatur antiqua *fides?* adeone

 expal-

(h) Scalig. exerc. 216. Sect. 1. (i) Plutarch. in apophtegmat. c.18. (k) Prov. XV. 21. (l) Cicer. epist. 1. libr. ad Attic. num. 13. (m) Horat. L. III. carm. ode 16.

expalluit vetus *doctrinæ* facies? ſiccine bonus *lucri* odor ex re qualibet? num in quæſtû pro meretrice ſedet *virtus?* itane *aſinus* avis? quid *graculus* inter Muſas? quid *ſimius* in purpura, & *aſinus* in unguento? quid ollæ fictili cum ænea? *Tiercellinus*, antiqui moris in Gallia eques, mordaci dicterio indignabundus ſœpius dicebat: *torquem conchyliatum, poſtquam indignis promiſcuè communicari cœpiſſet, non jam amplius eſſe* virorum fortium inſigne, *ſed* omnium beſtiarum collare. (n) Idem fere dixeris de gradibus academicis, indigniſſimis crebrò collatis. Argutè *Seneca* in *apocolocynthoſi* de Imperatore *Claudio*, præter meritum in Deorum numerum relato, inquit: *dum tales Deos Vos facitis, qualis eſt* Claudius, *nemo Vos Deos eſſe credet.* Verùm κάμηλος καὶ ψωραλέος πολλῶν ὄνων ἀνατίθεται φορτία, camelus etiam ſcabioſus complurium *aſinorum* onera tollit. Annon glorioſius foret, à publicis functionibus ἐνδοξότερον, quàm πλουσιώτερον diſcedere? cordatè ethnicus: (o) *quæſtui Remp. habere, non modò* turpe *eſt*, *ſed* ſceleratum *etiam* & nefarium. Et *Taubmannus*, mulum de *aſino* pingens, ait: (p) perfidi *ſunt*, *qui honores & præmia*, dignioribus *præteritis*, indignioribus *decernunt.*

(n) Thuan, lib. XXIII. (o) L. II. offic. (p) ad prolog. Amphitr. Plaut.

cernunt. Solus enim sapiens veram gloriam possidet, stultorum exaltatio ignominiosa. (q) Non est certius lapsantis Reip. signum, quàm bonorum malorumque mistura. (r) E tripode *Gaspar à Reyes* : (r) essent felicissimæ artes, si de illis solùm judicarent *artifices*. Sed ô tempora! ô mores! prodeunt quotidie non solùm *execrandæ empiricorum sectæ*, *subreptitii ac suppostitii nebulones*, sed *bullati* (imò pullati) Doctores, ad prœmia & honores evecti, & in nescio quibus Academiis velut extemplo *Doctoratûs* gradum consequuntur, peractis ceremoniis, *non examinatis studiis*, cathedram ascendunt, & cuncta jam exalto despicientes, confusum quidpiam murmurant, *tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant chirothecæ, & nescio quæ insignia humeris & capiti imprimuntur* : hymno dicto descendit *sapiens*, qui *stultus* ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Ovidio cognita! *tumet ille statim, stupet vulgus, plaudunt affines, qui nil aliud quàm asinum, quem adduxerant, deportant, Cumano illo indoctiorem, qui chartas vix involvere novit; quem tandem si in Medicinis consulas, reperies hunc tot* decipe *dare, quot* recipe, *mortemque verius accire posse, quàm valetudi-*

(q) Prov. III. 35. (r) Antiphenes apud Laërt. L. VI. (r) in camp. elys. jucund. quæst. VI. §. 5.

letudinem. Enatum ex hoc proverbium, quod licèt apud Germanos, Hispanis etiam (& Gallis) nunc quadrat: *nos accipimus pecuniam, & mittimus* asinos *in Hispaniam*, (Galliam, non advertentes illud: qui fuit hîc *asinus*, non ibi fiet equus. Pulchra sanè legatio ac *aurita*, sed dudum agnita, *Doctorales titulos* auro coemtos secum vehentium. Etenim ego talium promotor non fuerim: *quî enim in tam gravi negotio, ubi de hominum salute agitur, indignos promovet, reus est omnium errorum, noxarum ac criminum, ab illis per inscitiam patratorum, quin & violator privilegiorum, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Ducibus Academiis concessorum.* Hæc cùm adspiceret *Euritius Cordus*, Medicus & Poëta celeberrimus, non immeritò, nec citra salem, *asinam* introduxit, suum ex collegio medico expulsorem sic alloquentem:

Non me tam duro miserandam verbere cæde,
quin condiscipulam *da residere tuam.*
Hanc venio auditum, quam Vos hîc discitis, artem,
huic operam studio nunc dabo vestra comes.
Tot siquidem video Medicina *beavit* asellos,
mutabit sortem forsan & illa meam.

Laudo Sinenses, qui nec *probum*, nec *justum* esse posse autumant, qui Philosophiam non didicerit, ut

ut proinde *literas amare* & *bonum esse* pro iisdem prorsus habeant. (s) Tres gradus summi æstimii apud eos *Sieucai*, *Kiugin*, & *Cinsu*, quorum ille *Baccalaureatui*, iste *Licentiaturæ*, & hic *Doctoratui* apud nos respondet. (t) Obtentô gradû singulis annis promotus rigorosè examinatur, & nisi majores fecerit progressus, omni honore, dignitate & immunitatibus publicè privatur. Bonum sanè factum! *Vnus quippe dies eruditi Viri plus patet, quàm imperiti longissima ætas.* (u) Ecce verveceam statuam, monstrosum istud Arcadicum germen, magnum *sine pectore corpus*, (w) *ἀντρώνιον ὄνον*. Audiens *Alfonsus*, Arragoniæ Rex, ab Hispano quodam Rege literas in Principe improbari, *bovis* vocem esse dixit, non hominis. (x) *Vladislao*, Bohemiæ & Hungariæ Regi, non videbantur homines, literas ignorantes, (y) & *Trajano*, Romanorum Regi, illiteratus erat *asinus coronatus*, referente ex *Policrat.* (z) *Chassan.* (a) Quid? quod ipse Dei Spiritus

(s) Martin. Atlant. Sinic. L. IX. p. 345. Spizel. de re liter. Sinens. Sect. 3. p. 27. (t) Vid. Trigaut. exped. Sinic. L. I. c. 5. p. 33. Nieuhof. allgemeine Beschreibung des Reichs China c. 2. p. 254. (u) Posidon. apud Senec. epist. 78. (w) Horat. I. epist. 4. (x) Panormit. de dict. & fact. Alfonsi, (y) Æn. Sylv. L. III. (z) L. IV. (a) P. V. glor. mund. conf. 10.

tus (b) hominem, qui in honore est, at sine intellectu, similem judicat *jumentis*. *Regale* igitur, *sapere* & *judicare*. (c) Vertantur omnia, quæ tetigit *Midas*, in aurum, aures tamen lentè gradientis *aselli* occulere nequit. (d) Bonus (sapiens) Princeps *orbis amor*, & *populi salus*. (e) Imò quisque sapiens

- - uno minor est Iove: dives,
liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum. (f)

Ceterùm non movebitur *asinus* meus, etsi compluatur. Cùm dictum esset *Diogeni*, se irrideri à multis, & illi, ait, deridentur fortè ab *asinis*. Responsum est: isti non curant *asinos*; nec ego, infit, ejusmodi blaterones. Symbolum *Friderici II.* erat; *minarum strepitus*, asinorum *crepitus*. Furcifer quidam *Socrati* colaphum impegerat, hortabantur familiares ad rependendas vices, neutiquam sic insolentiam abire pateretur. Quid, ait, autores mihi estis, ut faciam huic verberoni? Ut in judicium eum voces, dicamque impingas, ne inultus hoc auferat. Malè narratis, inquit, & fugit vos ratio: num si me *asinus* calce pulsasset, *asinum*, vobis autoribus, vadimonio obstringam, & ad Prætorem obtorto

collo

(b) Psal. XLIX, v. 21. (c) Cic. I. de divin. (d) Ovid. L. XI. Metam. fab. 3. & 4. (e) Sap. VI. v. 26. (f) Horat. L. II, epist. 1.

collo in jus rapiam ? *Talis scilicet sapientis animus est, qualis mundi status suprà Lunam, semper illic serenum est.* (g) Elephas non venatur musculos : aquila *nec capit, nec cupit* culices, papiliones, crabrones, & hujusmodi susurrones. Interim *invidia cum virtute semper commercium habet, ab hac non minùs secedit, quàm à corpore umbra: hanc sequitur domi, non deserit foris, pernoctat cum ea, peregrinatur, rusticatur. Excutite totam totius generis humani vitam, nonne invidiam protinus habebit, sociam is, qui suprà vulgus quidpiam sapiet?* (h) ἀπὸ ἐχθρῶν πολλὰ μανθάνουσιν οἱ σοφοὶ, ajebat *Sophocles.* At quid stulto propiùs, quàm velle, & non posse nocere? Invidus omnium mortalium miserrimus: *alienam quippe felicitatem suum facit tormentum. Simul peccat, & plectitur, quem hæc pestis invasit.* (i) Eleganter *Buslidius.* (k)

Quâ ratione meos ulciscar, quæritis, hostes?
expediam: ulciscisic quoque disce tuos.
Incessunt, taceo: culpant, fero, crimina spargunt,
dissimulo; mordent, absque dolore meo.
Obtrectant, sileo; ringuntur, rideo, vulgo
traducunt, patior: dant mihi damna, sino.

)( )(5 *Aspi-*

(g) Seneca epist. 59. (h) Dornav. in encom. invidiæ. (i) Bona in manud. ad cœlum c. 8. p. 95. (k) in ultim. Herlic. de curat. gravid. puerper. & infant. cura,

Aſpiciunt torvis oculis, ego comiter illos
accipio; turbant cuncta, quiete fruor.
Latrant, non moveor: frendent, non curo, minantur,
nil metuo: torquent labra, laboro nihil.
Exagitant, non exagitor, vexant, neq; vexor,
lædunt, non lædor, probra refutat honor.
Inſidias ponunt, vado, repetunt caput, oro:
peſſima molitis optima quæque precor.

Anima, quæ benedicit, impinguabitur. (l) At quorſum *medicaſterculus* iſte? monſtrum horrendum, *infame*, ingens, cui lumen ademtum! (m) Aquisgrani in veſtibulo myropoly ſculptile morionis idolum verſicolore veſte, rubro capitis galero, veſtitum erat; Dextrâ exſertâ *matulam* vitream, diductis labris ſubridens, ùt fatui ſolent, ſpectatoribus oſtentans. Rogatus pharmacopœus, quid hoc portendat? reſpondit: juſſû Medicorum id factum, ut *Medicos* à *medicaſterculis* diſcernere norit populus. (n) Quomodo *ſterquilinia* & *purgamenta* iſta *urbium* in monte Peſſulano plectantur & ejiciantur, dixi. (o) Si ſaperent, utique vel *aſini* calamitate cautiores redderentur. (p) Os *caninum* eſt, non hominis. Mor-

(l) Prov. XI. 25. (m) L. III. Æneid. v. 658. (n) Freitag. noct. med. c. XIV. p. 59. (o) Sect. III. P. 2. c. 2. §. 3. (p) fab. Æſop. p. m. 38.

Mordax quippe, immunda, rapax, & rixoſa beſtia eſt, quæ ſemper ringitur, ſi vel *aſinus* canem momorderit, inter γλωσσογάςορες & τραπεζοκόρυς facilè primâs, & κύων ζῶν ἀπὸ μαγδαλιᾶς. Inſigne ejus *porcellus*, ne neſcias, ex quo ordine proreperit ſociolus iſte. Pedes *bovini* ſunt: at quis ſatis mihi pinxerit aut finxerit perditiſſimos mortalium? (q) Licet verò hodie corvo impune *aſini* pellem pectere, ùt in fabula eſt. Conſpectum in paſcuis *aſinum* devoraturus *lupus*, exoratur ab illo, ut prius ſpinam extrahat defixam in calce pedis poſterioris. Sed dum lupus poſt *aſinum* abit, percuſſus, & vertigine oborta humi ſtratus, facultatem dedit *aſino* aufugiendi. Poſtea reverſus ad ſe: *coquus*, inquit, *qui eſſem, cur medicinam faciebam?* vix ſine damno, neglectâ, quam didiciſti, arte, ad aliam factitandam aggrediêre. Malè etiam, quòd videas iſtos nebulones, ſub prætextu chriſtianæ caritatis, oberrare. Increbuerat fama, *aſinum* jacentem in morbo, non procul à morte abeſſe. Veniunt igitur ad domum, in qua ille decumbebat, *canes & lupi*, & oſtium aperiri, & ſe intromitti ad viſendum ægrotum poſtulant. Sed *aſellus* parvulus per rimam januæ reſpondet: *nihil hoc officio opus eſſe patri ſuo, atque eum melius etiam valere, quàm*

)( )(6 *ipſi*

(q) vid. Hartmann. apud Freitag. l. c. p. 9.

ipsi vellent. Igitur *cave canem!* & ἔξω οἱ κύνες. (r) At quid excandesco? memor potius ero fabulæ. Obviam factus apro *asinus* crebros cachinnos erudens, etiam familiariter illum compellare non dubitavit. *Salve, mi fratercule,* inquit, *salve. Quamdiu est, quòd te his in locis non aspicimus? ubi nam gentium moratus?* & percontari deinde, *nunquid afferret novi? quid narraret?* postremò etiam suam operam illi deferre, & rogare, *nunquid vellet?* aper cùm irritaretur ineptiis *stolidi aselli*, iratus caputque quassans: *non tamen ego,* infit, *fatui istius sanguine contaminabo fauces meas,* & præteriit, relinquens *ignavum* & *vecors animal.* Dandum est aliquid stultitiæ hominum. Ipse Deus *asino* cadenti succurrere nobis mandat, (s) & mitiùs cum eo agere, quàm in fabula fit, & rusticus iste agebat, qui cùm *asinum* suum per alpes nivibus obtectas duceret, isque freno non pareret, iratus in rupes protrusit. Elige igitur *Constantini Chlori* symbolum: *virtus, dum patitur, vincit.* Generosi quippe athletæ est, cædi & vincere. Ceterùm si non omnia, seu breviùs quædam, tibi dixisse videar, agè, dic tu reliqua, & tunc uterque dixerit singula. Lapsus sum? cogita, me hanc labem ex ipsa mortalitate traxisse. *Nemo potest esse*


(r) Apoc. XXII, 15. (s) Deut. XXII, 4.

esse tam prudens, tam circumspectus, ut non aliquando labatur. (t) Uti non pigebit me, *sicubi hæsito, quærere*, ita nec pigebit, *sicubi erro, discere.* (u) Sed *apud bonum virum bonam causam habebimus, apud malum ne quidem agemus:* (w) *Non omnia* possumus *omnes.* Denique *si vis tibi vivere, alteri vivas oportet,* (x) *pura mente. Qui dixit,* VIXI: *quotidie ad lucrum surget,* (y) *in spe & silentio.* Quid enim (quod *Constantini Copronymi* symbolum erat) *sine pectore corpus?* quod *nec capit, nec cupit* τὰ ἄνω. Summa:

Sic vive, ne sit, cur olim quispiam
de te, vel ipse conqueri
de quopiam, aut tu de sorte possis: ipse nec
cuiquam volens injuriam
facito, nec unquam credito factam tibi.
Si vis beatè vivere,
assuesce conditione quantulâ tuâ
uti, & minus de illa queri.

Apprên-

(t) Lactant. L. VI. Instit. divin. cap. 24. pag. 632. (u) Augustin. L. I. de Trinit. cap. 2. (w) Senec. L. IV. de benef. cap. 4. (x) Idem epist. 48. (y) & epist. 12.



APPLAUSUS ERUDITORUM.

I.

Qui leporem *peperit felici sidere nuper*,
nunc asinum *mirâ fertilitate parit.*
Num monstrum monstrum? *sic est*, & *fœtus* & *Autor*;
nulla licèt vitium lumina sana legant.
Non hoc, quòd mutes animam cogitando *subinde*, *
sentio, naturam Te variare tuam.
Ingenii mostrum, *quô polles*, Nobilis Autor,
mentis ab excelsa nobilitate venit.

)()()(*In*

In scriptis asinus *tuus hic formatus, in auras*
prodit, & hinc doctis complacet ille Viris.
Cum Medico gnavus quia ritè Machaone vixti,
hunc, one, *non metuas, si dabit eccho sonum.* **
In lucem venias, vult hoc resonabilis eccho
dicere, dispergas tædia longa moræ.
Non asinus *præsens villis, sed & ipse superbit*
lanâ, *quæ multis mollis & apta venit.*
Cumque lyris asinus *vulgo sit totus ineptus,*
aptus at Autoris cùm sit, Apollo vocat.
Brutum non brutum, *quod sistit Doctus* ARION,
hoc in Parnasso sit maneatque meo.
Vivat, & hic vigeat, ludat, colludat, & inter
Delphinos quasi sit, vivat agatque pios.

Cùm

Cùm caput & facies *hujus fiet* aurea, *cultu* ***
quô sit adorandus, significandus erit.
Non sacer, *at scitè meritoque* scholasticus *audit;*
hinc animi quæ sint, collige, sensa mei.

In gratiam & honorem Celeberrimi Auctoris, quondam in hoc Athenæo *Discipuli* diligentissimi, jam *Doctoris* mei per scripta limatissima carissimi, hoc adjicere, Eidemque *Plus ultra*, sive plura meditanti, veterum illud FELICITER! acclamando vovere volui

Joh. Christian. Frommann, D.
Archiat. Ducal. & Med. Provincial., atque Illustr. Gymnasii, quod *Coburgi* est, Prof. Phys. ann. ætat. LXXII.

* Cartesiani *animæ ration. essentiam in cogitatione* consistere volunt. At D. *Petr. van Mastricht* in libro, quem inscripsit: *Novitatum Cartesianarum gangræna pag.* 248. hoc præter alia infert: Si cogitatio est essentia animæ, tum si cogitet v. g. *asinum*, essentia animæ erit cogitatio de *asino*, si de sue, tum erit cogitatio de sue.

** Allusio fit ad id, quod Illustr. *Verulamius de dignit. & scient. augmento L. I. cap. I.* (ubi tres doctrinarum intemperies, quas inter prima luxuries orationis est, tradit,) sequentibus adducit: tunc C. & A. apud nos prælectionibus & scriptis suis Ciceronem ac Demosthenem usque ad cœlum evehentes, juvenes ad politum hoc & florens doctrinæ genus invitârunt. Tunc Erasmus arripuit ansam introducendi ridiculam illam eccho: *decem annos consumsi in legendo Cicerone:* cui eccho respondit: *one*, asine.

*** De *asini* & *asinini capitis aurei* cultu, quem à gentilibus in christianos derivatum falso quibusdam fuit persvasum, vide Doctiss. *Voss. L. III. Idol. cap. 75. pag. 365.*

II.

INclyta Te primùm vidit *Ferraria* flentem,
& Tibi doctrinæ semina pura dedit.
Erudiit teneros studiis melioribus annos
Girbertus, vetuit quem pia Musa mori.
Tradidit Illustri porrò *Müllhusia Gothæ*,
quæ mater solidis nutriit alma cibis.
Gotterus, Reyherus & *Hessus, Buslebiusque*,
ac *Roseberg*, (semper nomina grata Tibi,)
Te patrio prorsus complectebantur amore,
magmentum studiis hinc quoq; grande tuis.

Purus



(o)

Purus enim *candor*, *labor* & tuus, omnia vincens,
non poterant Tantis displicuisse Viris.
Inde bonis avibus placuit vidisse *Coburgum*,
Augustamq; Tuam, Dux *Casimire*, scholam.
Altiùs excelsæ tranant sublimia mentis
vota tua: *aut Cæsar, seu nihil* esse volo.
Sic ais: arridet tua vox generosa Magistris,
ex voto Tibi quæ nobilis *Itza* dabat.
Seldius, & *Seyfart*, *Frommanni*, denique *Kayser*,
(ô quàm dulce bonos est meminisse Viros!)
Spindlerus, *VVölfing*, *Clauder*, *Kohlhansius*, omnes
ingenium studiis expoliêre tuum.
Hospitium gratum Tibi postea *Prussia* fecit,
Regius, & *Gedanum*, *mons* benefactor erat.
Inde *Soram* migrans, Borealis lumina cœli
miraris, *rosa* nam candida *Sora* fuit.
VVitzlebius, *Cortnummius*, *Ernstius* atque *Meyerus*,
VVeitzius, & *Lauren-berg* hodogeta tuus.
Mox Te fata trahunt *Friderici Tertii* in urbem,
cui debes sortem, & prospera quæque, tuam.
Hafnia Te coluit, docuit, nutrivit, amavit,
addidit hæc studiis pondera magna tuis.
Testor *Barthlinos*, *Ostenfeld*, *Borrichiumque*,
VVormium &, insigni dexteritate Viros.

)()()(3 *Nol-*

Noldius eſt teſtis, *VVandlin*, *Svaningius*, atque
Foſſius, excellens *Reſeniusque* tuus:
Ad *Belgas* iviſſe juvat: quoque *Franequerana*
& *Lugdunenſis* Te docuêre ſcholæ.
Sylvius inprimis, dudum ſuper æthera notus,
gratificabatur conſiliô atque operâ.
Ut reliquos taceam: ſtudium *Grôninga* celebris
laudat, candorem *Belgium utrumq́;* tuum.
Egregiisque tuis dedit auſibus *Anglia* plauſum,
teſtor *Londinum*, teſtor & *Oxoniam*.
VVillişio placuit tua ſic induſtria, ut ultrò
commendârit eam, *Magne Boylæe*, Tibi.
Laudes atque tuas tua *Cantabrigia* dicet,
quæ benefactrix atque hoſpita fida fuit.
At *labor* & *candor* quoniam nutritur honore,
fas erat à *Batavis* ut potiaris eo.
Antè Tibi dederat *triplicem* Germania *laurum*,
Florigeros inter, *Fructiferosque* locum.
Haud repeto terras, alio ſub Sole calentes,
quas, poſt acceptos, viſeris ipſe, gradus.
Nota tua eſt *Gallis Italisque* ſcientia, vaſtus
Te laudat *Boreas*, ultima *Thule* probat.
Quàm longos *Bergæ* Soles conſumſimus ambo,
Treublerus, *Rhodius* calcar utrique dabat.
Abreptum nobis Te mox *Islandia* cepit,
Naturæ monſtrans abdita quæque Tibi.

Tu

Tu cineres *Heclæ* ruſpatus es, omnia, *pontus*
quæ *glacialis* habet, ſunt Tibi nota bene.
Upſaliam rediens cunctis dilectus, *ocellum*
Te quoque *Schæfferus* dixit amore ſuum.
Orbis delicium, Germanæ gloria gentis,
Vir quantus, verè quantus, ἀθανάσιος
Kircherus, magni ſemper fecit tua ſcripta,
in pretio raro cuncta *Patinus* habet.
Hinc *Leopoldinis Sociis* adſcriptus, ad unguem
ſervâſti ſemper *nobile lemma* tuum.
Et *nunquàm ſegnis* docti monumenta laboris
promſiſti, vitam quæ ſine morte dabunt.
Te *Mæcenatem* Cæſar ſimul atque *Maronem*
eſſe jubet. Virtus næ latuiſſe nequit.
Ingenio vives: mors & ſors cætera turbant,
ſciſſe nihil, mors eſt, mors ſtuduiſſe nihil.
Per varios caſus, terrâ jactatus & undâ,
Teutoniæ tandem redditus ipſe tuæ.
Obtulerat *Piſis* magnum *Florentia* munus,
Doctores inter, præcipuumque locum.
Sed tibi fata viam occludunt, greſſusque retardant,
morbo etenim vinctum mox *Travemunda* tenet.
Hamburgum vectus tandem ſub ſpe meliori,
at ſpes confudit, vanaque vota tua.

 O cuſtos



O custos hominum, Tibi quid fecisse requiris?
velle tuum fiat; stabo cadamque tibi.
Et licèt occidas, in Te sperabo, salutem
Tu mihi das solus, non aliunde peto.
Subsistam, num progrediar? tua sancta voluntas
fiat! sic lætus dixero: πάντα καλῶς.
Christophorus Bernhard, ille Arte & Marte celebris
Princeps, Imperii magna columna sacri.
Te vocat, & *Medici* Spartam *Historicique* fidelis
tradit. Quàm dextrè hoc functus es officio!
Principe defuncto, rursus *Septentrio* poscit
Teque fidemque tuam, cujus is usque memor.
At sic non erat in fatis; à Principe Docto
Hameliæ, mutas, omine tentus, iter.
Rudolf-Augustus, Deus ille, Tibi otia fecit,
otia candoris plena laboris. Agè!
Denique cara suum repetit *Ferraria* natum,
Matris enim cunctis anteferenda salus.
Seu *Mater* fuerit *patria*, aut injusta *noverca*,
debet ei soboles *obsequium* atque *fidem*.
Ille, suæ gentis populum qui respicit, ille
paucis est natus: posteritatis erit

Judi-

Judicium melius; *virtus* post funera crescit,
Ars habet in tumulo spemque decusque suo.
Olim sera tuos ætas mirabitur ausus,
unus erit mundi finis itemque Tui.
Donec in orbe *canis*, reptans *anguillaque*, *bufo*,
atque *asinus, lepus* & *salvia, talpa, lupus*.
Tu quoque, PAULLINI, toto cantabere mundo;
hanc libertatem splendida charta dedit.
Ille dies veniat, (veniet,) *Germania, doctos*
quô videt *annales* Gens animosa tuos!
Auspiciis *Leopoldinis fortuna labori*
juncta sit, & *factum* quis neget esse *bonum?*
Tunc *Bene!* clamabit *Doctus*; *Feliciter!* addet
Cordatus: magnum *Teuto* stupebit opus,
Inventum, PAULLINE, tuum. Calumnia, livor,
sunt umbra & larvæ: num timuisse velis?
Principibus placuisse Viris Tibi maxima laus est;
at reliquis mentem Tute precare bonam.
Latrant, non mordent, timidi spurcique catelli,
nec præda est *aquilæ* sordida vespa tuæ.

)( )( )(5 Opto



Opto Tibi *invidiam*, ſine qua *candorque laborque*,
Virtus, *doctrina*, & *gloria* marcor erunt.
It livor ſurſum : ſublimia pectora rodens;
aut *miſer*, aut *ſtultus*, qui caret, omnis, eô.
Per vaſtum interea currat tua *beſtia* mundum,
omnibus at pudeat velle placere in eo.
Quàm paucis noviſſe datum eſt verum! *Sapienti*
ergo, *aſinum paucis*, *ſat*, *placuiſſe* tuum.

Labori candorique, uti olim in *Septentrione*, *Belgio* & *Britannia*, ita etiamnum conjunctiſſimi Amici, variisque ſcriptis & auſibus cedro dignis Celeberrimi, mnemoſynon hoc, ſine fumo & fuco, poſuit ad *Amſtela aggerem*,

Eſaias Dahlborn, M. D.



III. *Bruta*

III.

BRuta Tibi clarum nomen, *Paulline*, dederunt,
annon abs *asino* gloria summa venit?
Magna Dei Magni semper magnalia pandis,
eruis ac verum ex *Democriti* puteo.
Omne feres punctum, quia misces *utile dulci*;
Prosis! delectes! voce stilôque, diu!

Misit è *Prussia*

Zacharias Waller, M. D.

IV.

QUærunt, cur *asinum* describas? diximus: inter
Naturæ atque *Dei* quoniam *miracula princeps*.



Delectat ſimul & *prodeſt*, à vertice ad imos
usque pedes, magnum convertens ſingula in
uſum.
Hunc *Leopoldinis Sociis* tua penna recenſet,
Deſidioſus enim nunquam, *PAVLLINE*, re-
pertus.
Fructiferis Vigilans, redimens à morte, voçaris,
Florigeris verò *Vranius*, *cœleſtia ſpirans*.
Naturæ Myſtis Illuſtribus audis *Arion*.
Salve, delicium Phœbi! te penna beabit
cœlo, cunprimis dederis ſi cætera mundo
ingenii monumenta Tui. *Gialappa* meretur
plauſus, & inſignem *barba*, & tua *dextera* lau-
dem.
Ne reliquas tangam, Doctorum gaudia, char-
tas,
Hiſtoriæ plenas *veteris* pariterque *recentis*.
Sic eris *Vranius*, *Vigilans*, & Magnus *Arion*!

Hæc *Delfis* veteri ſcribebat Amicus
Amico

Georgius Roſenvvald, M. D.



V. Omni

V.

OMni dignus laude *asinus*, Venerabile brutum,
ex *asini* toto corpore nostra salus.
Soli *asino* Dominus summum quoque fecit honorem;
hinc quis non *asinum* prædicet, ore, stylo?
O felix *asine*, hîc quem nobis sistit *Arion*;
Omnis in hoc *asino Pharmacopæa* cubat.

Ita ominatur *Lovanii* in itinere suo curioso

Laurentius Damper, Ph. & M. D.

VI.

MUlti nôsse volunt, habeat quod nomen *asellus*
iste tuus? dixi, quod scio, *Pancratius*.

Utilis

Utilis ad cunctos ferè morbos, utilis omni
ætati, terræ, tempore quoque, locô,
In bello & pace, in villis atque urbibus: eja!
quidnî igitur verè dixero *Pancratium?*

Scripsit *Hamburgi*

Cornel. Anton. Stahlschmiedt/ U. J. L.

VII.

S*Int* asini, *quoscunque* asinos *sors aspera fecit;*
fallit at omninò priscum polytrilliton istud.
Est asinus *celebris nunc, & splendore coruscat,*
ejus cùm laudes vulgat præclarus Arion.

Aligero

Aligero tumidus dubiam nunc reddere palmam
ſperat equo, clamans: mihimet Parnaſſia linque
culmina, nam dignum me his fecit Doctus Arion.
Næ ſi aſinus *meruit* Sileni *in ſidera poni,*
qui rudens fortes terrebat voce gigantes,
PAULLINI calamus faciet me ſcandere olympum.
Riſit ad hæc Phœbus, divoque hæc protulit ore:
Bruta en! ſi porrò celebrabit Doctus Arion,
tandem Zodiacum *novum oportet fingere, Fiat!*

f. *Altenburgi* in Miſnia

Frideric. Günther. Förſter,
Bibliothec. Ducalis ibid.

VIII. *Aſi-*



VIII.

ASINUS

κατ' ἀναγρ:

I, SANUS.

I, pia quò Te fata trahunt, qui *SANUS*, amabit,
insano mentem desuper opto bonam.

transmisit Erfurtô

Ernest. Christoph. Hadtenberg.



Deus



Deus in adjutorium meum intende!

SECTIO PRIMA

Quæ Theoretica,

eaque

PHILOLOGICO-PHYSICA.

CAPUT I.

DE NOMINE ASINI.

§. 1.



SI omnis rei inſpectio, cognitâ etymologiâ, planior & plenior fit, (a) operæ pretium erit, etiam *aſini* vocem examinare. *Iſidorus* (b) à *ſedendo* derivat, quaſi *aſſedum*. Animal quippe tardum eſt, & nullâ ratione renitens, ſtatim, ut vult, homo id ſibi ſubſternit. Alii abs ebræa voce *Aſon*, quæ ipſum ſignificat *aſi-* Etymologia latina.

A *num,*

(a) Agell. L. XIII. N. A. c. 10. (b) L. XII. Orig. c. 1.

num, deducunt; alii à græca ἀσινὴς, cùm *innocuum* animal sit; οἱ ὄνοι οἱ ἄγριοι ἀσινεῖς εἰσὶν, agrestes *innocui* sunt, (c) quantò magis domestici nostri hujus indolis erunt? alii ab ἀσαίνειν i. e. λυπεῖσθαι detorquent, cùm sit *triste* brutum. *Bartholom, Anglicus* ab α & σύνω flectit, quòd animal *sine sensu* sit. Num bene & rectè, tute censebis.

asininus asinarius §. 2. Ab *asino* est *asininus*, a, um, & *asinarius*, ὀναγὸς, vel ὀνικὸς, qui pascit ducitque *asinos*, ein Eseltreiber/ *asinecta*, *asiniga*, & *asinida*. Laudanda hîc Wartburgici nostri fides & constantia, qui *Margaritam*, Friderici II. Imp. filiam, *Alberti*, Landgravii Thuringiæ, (quem vulgò ἄστοργον, seu *degenerem* vocant,) conjugem mirabiliter servavit. Scilicet callidus iste *Albertus* sic agere rem intendebat, ut

pietas fidesque agasonis paucis ea innotesceret, dum conjugem veneno in ejus mortem præparato enecare nitebatur. Hoc verò per ministrorum integritatem cùm ipsi datum non esset, clam iis omnibus, quod semel sibi proposuerat, perficere nihilo secius allaborans, selegit in expeditionem sceleris *agasonem* quendam, aquæ lignorumque vectorem, hominem fatuum, eumque promissis oneratum ac juramento sibi obstrictum nefario instruxit consilio, ut spectrum simulans cubile *Margaritæ* introiret, ad quod *Cunigunda* pellex ipsi factura esset aditum, ibique dormientem illam derepente

(c) Xenophon. Cyr. pæd. 1.

pente strangularet, quò à cacodæmone enecata crederetur. Mulio à *Cunigunda* intromissus primùm se abscondit tacitè, dein, excitato modicè strepitu, præsentiam suam *Margaretæ* indicat, &, Deo sic dirigente, lachrymis effusis gratiam Dominæ implorans, de mandato sibi exponit omnia, svadens, ut fugâ vitæ consuleret, sequoque mallè periculi socium, quàm tanti conscium sceleris esse. (d) Mola *asinaria*, quam circumagit asinus. *Asinaria* Plauti, scilicet fabula de mercatore *asino*. Huic nomen græcè ὀναγ@-. *Asinariam* volt esse, si per vos licet. (e) Laudat Plinius (f) uvam *asiniscam*, ab *asini* colore ita dictam. (g) Pruna *asinina*, à vilitate sic dicta. (h) Ex *asino* nascitur *asellus*, cujus in sacro codice passim fit mentio, (i) & pulli *asinæ*. (k) Vilis *asellus*, (l) ein schwacher Esel. *Asinini*, qui vescuntur carne *asinina*. (m) asinaria asinisca asellus asinini

§. 3. Graji vocant ὄνον, *asellum* ὀνάριον, ab ὀνημι juvo, prosum. Est enim *jumentum*, seu magnum *adjutorium* nostrum. Cyrenenses dixêre βελκόν, ab *iniquitate* forsan. βελκοὶ enim sunt πονηροὶ, mali. Hinc apud Horatium est etymolog: græca

A 2

(d) Binhart. L. II. chron. Thuring. p. 194. D. Alberti in disp. de Frider. admorso habit. Lips. 1675. c. p. annal. m. Isnacens. §. 26. (e) Plaut. in prolog. (f) L. XIV. c. 3. (g) vid. Brodæus L. IV. c. 25. (h) Plin. L. XV. c. 13. (i) Gen. 32, 15. 49, 11. Jud. 10, 4. 12, 14. Esa. 30, 24. Joh. 12, 14. (k) Gen. 49, 11. Zach. 9, 9. Matth. 21, 2. 57. Luc. 19, 3. seq. Joh. 12, 15. (l) Plin. L. XVII. c. 5. (m) Galen. L. I. de alim. fac. c. 2.

est *iniqua mentis asellus*. (n) Notandum, quòd ὄνος & οἶνος unico jota distinguantur. Uti enim vina parant *animos* juxta istud *Nasonis*, (o) ita etiam *asinos*. (p) Bellè quidam in bibonem:

Vina parant animos; *infis, sed parciùs hauri,*
Sin: fies subitò, dum sapit οἶνος, ὄνος.

ὀνόπορδον — Ὀνόπορδον herba, quam si *asini* vorent, pedere dicuntur, à πέρδω pedo. (q) Recentiores
ὀνόφυλλον — carduum quendam spinosissimum ita vocant. Ὀνόφυλλον, *asini* folium, seu lactuca, i.e. an-
ὀνόγυρος — chusa. Ὀνόγυρος, herba *asinis* digna. Est et-
ὀνόχειλος — iam nomen Viri. (r) Ὀνόχειλος labium *asini*, refertur inter species anchusæ. (s) Ὀνοβρυχὶς,
ὀνοβρυχὶς — *asini* palmes, in aquis crescens. Ὀνόπυξος spinosis stirpibus accensetur. Est enim, dicente
ὀνόπυξος — *Plinio*, (t) folio & caule spinosus. Alii buxum *asininum* vocant. Inde autem dicitur, quòd sit carduus *asino* in cibo gratissimus. Alii scribunt ὀνόπηξον, quòd ad eum devorandum *asinus* perpetuò defigatur & hæreat. Sic
ὀνοκάρδιον — & dipsacum ὀνοκάρδιον vocant, ὄνου καρδίαν, quòd *asini* corculum sit, magnaque alacrita-
ὀνόνις — te ad istam herbam feratur. Ὀνόνις, Hauhechel, vel quòd *asinos* juvet, scilicet sese terentes ad illam scabentesque, vel quòd in ea se volutantes spinis ejus dorsum libenter affricent &
ὄνοσμα — scabant. Ὄνοσμα, quasi ab ὄνου ὀσμῇ, ab *asini* odore.

(n) L. I. sat. 9. (o) L. I. de art. am. p. 209. (p) Prov. 20, 1. (q) Plin. L. 27, 12. (r) vid. infra S. II. Part. I. c. 2. §. 3. (s) Plin. L. 22. c. 21. (t) lib. cit. c. 16.

odore. *Onocecidas* Galenus à rusticis ait vocari eas gallas, quæ grandescunt fungosæ, quasi *asininas*, quòd ignavæ sint, & minùs efficaces. *Auricula asini* Gallis est symphitum alterum. Sabaudi lotum pratensem vocant *asini panem*. *Onogyri* mentionem facit Nicander in theriacis. Quidam *chamæpytim* per eum intelligunt. Et quamvis *onobrichin* Dioscorid. cum Galeno ad discutientium classem referat, officinis tamen non in usu est. Ὀνοκρόταλος, avis aquatica, ansere major, cujus sonus, quem sub aquis edit, rugitui *asinino* similis dicitur, ein Eselschreyer/Schneeganß/Kropff-Vogel. *Onocentaurus* monstrum, quod à parte superiori hominis speciem habet, à parte inferiori autem *asini* figuram. Ὀνοβάτις mulier, qua de infrà. (u) Ὀνόσκελοι, dæmones, seu spectra sunt *asininis* cruribus teste *Cælio* L. II. c. 6. Ὀνοκώλη, larvæ, seu terriculamenti genus, *asinino* pede. (w) Ὀνοκέντρον, stimulus *asini*. Ὀνεῖον stabulum *asinorum*. Ὀνιλάτης, ὀνηγίπος, ὀναγρὸς, (ὄναγρος enim *asinus* ferus est,) ὀνοφορβὸς, ὀνοκίνδυνος, pluresque hujusmodi voces & herbæ, ab *asino* denominatæ, videantur apud *Aldrovandum*. (x) Da werden untereinander lauffen Marder und Geyer / und ein Feldteuffel wird dem andern begegnen. (y) Sunt *onocentauri*, dæmonum genus tenebrosum.

onocecidæ

auricula & panis asini

ὀνοκρόταλος

onocentaurus

ὀνοβάτις

ὀνόσκελοι

ὀνοκώλη

ὀνοκέντρον

ὀνιλάτης &c.

 §. 4. E-

(u) S II. Part. I. c. 2. §. 3. (w) Vid. Aldrovand. L. I. de quadruped. c. 2. p. 148. B. (x) loco jam cit. (y) Esa. 34. v. 14.

etymolog. ebraica

§. 4. Ebraicè *asinus* à *modiis*, seu *acervis frumenti* portandis, vel à *rubuit* dicitur, quòd omnes ferè in oriente *rubri* coloris sint, unde Ægyptiis, exosi, & à Copticis de præcipitiis dejecti propter Typhonem *ruffum*. Germani vocant **Esel**. Inde **Eselshub** tussilago, ungula equina, seu caballina, **Eselsfarn**/ capillus Veneris, **Asseberger** Danicè, **Eselsmöhren** daucus &c.

Eselshub/ Eselsfarn/ Eselsmöhren.

§. 5. Ceterùm varias significationes induit *asinus*. Sumitur enim (I.) *rhetoricè* (1.) pro *stupido, inepto, ignavo* & *inurbano*. Quid tu autem huic, *asine*, auscultas? (z) quid nunc te, *asine*, literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. (a) Qui non intelligunt, *asino*, quô nullum animal est *stupidius*, mihi stolidiores videntur. (b) *Barbaricus asinus* Constantiæ vulpem Italicorum cepisse dicitur. (c)

homonymia (I.) rhetoricè, (1) pro stupido ignavo, in urbano.

Quot bipedes asinos *ipsi mille artibus atque*
insidiis capiunt astuti - - - (d)
Sed licet in multis astuti ludificentur
hos, quos dixi, asinos, - - (e)
Scriptores autem narrare putaret asello, i. e. stolidæ multitudini. (f)
Ad mensam residens, & cibo non benedicens,

hic

(z) Terent. Eunuch. a. III. Sc. 5. & Adelph. a. V. sc. 8. Adde Heavt. a. V. sc. 1. Cicer. L. IV. ad Attic. epist. 4. Muret. L. XIV. Var. lect. c. 9. Turneb. L. XXVIII. c. 35 Barth. L. VIII. Advers. c. 14. (a) Cicero in Pison (b) Galen. L. II. M. M. c. fin. (c) Engelhus. chron. p. 295. (d) Palingen. in Sagittar. p. 262. (e) Idem pag. seq. (f) Horat. L. II. epist. p. m. 420

hic residet ùt sus, & surgit, ùt alter asellus, dixêre Veteres.

Joannes Trithemius, elogio Meibomiano, *Monachorum doctissimus, priscæque in vita religiosa integritatis & sanctimoniæ vindex ac assertor flagrantissimus*, (g) ignaviam sociorum suorum & contemtum studii historici latiùs expendens, non dubitat publicè clamare: *ô jam sepulti ignavi homines vivi, quorum peribit memoria cum sonitu. Quàm sitis* asinini *ac rudis ingenii, palàm ostenditis, qui bonum contemnitis historiarum, quod assequi non potestis.* (h) Vide sîs mirabilem monachorum etymologiam apud *Meisnerum.* (i) Sanè *asinus*, & corpus *sine pectore* fuit (k) iste Abbas, qui Concilio Basileensi AC. MCCCCXXXIV. intererat. Cùm enim de persona esset realis, delectus est ad canendam missam pro inchoando Concilio. Quam cùm solenniter expedivisset, unus ex Cardinalibus autoritatem ejus admiratus, insignem illum Doctorem Theologiæ aut Scholasticum esse ratus, adiit, eumque latinè allocutus est. Tum verò ille, quid responderet, nescius, ad Diaconum suum se convertens: *quid*, ajebat, *sibi respondeam, ne confundar.* Ille in aures ipsi suggessit: *nominate aliquot villas circa Hildesiam,* Stürvold/ Hasse/ Vorsche/ Gisen/ Itzen/ Drispen-

candor Trithemii

historia ridicula

(g) in not. ad diplom. Thassilon. (h) chron. Hirsaug. ad ann. 1359. (i) Phil. sobr. P. II. Sect. I. qu. 12. thes. 5. p. 331. (k) Horat. L. I. epist. 4.

ſtedt ꝛc. *Has non novit Cardinalis, & ita Vobis constabitis.* Hoc cùm Abbas fecisset, Cardinalis ex altero quæsivit; *estne Græcus vester Abbas?* cui Capellanus: ita Domine! tunc Cardinalis, factâ reverentiâ, secessit, & Abbas magno in pretio habitus fuit, (l) Sic inscitia delusit ignorantiam.

Lesbia mi præsente Viro mala plurima dicit,
hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule, *nihil sentis; si nostri oblita taceret,*
sana esset - - - - Catullus.

Asini *me mordicibus*, i. e. dentib⁹ scindunt. (m)

Simplicius me sæpe loqui vis, Marcule, *fiat!*
Marculus *est* asinus. *Quid pote simplicius?* (n)

Ludov. XI dictum

Ludovicus XI. Galliæ Rex quendam ex suis Consiliariis, *Maximiliani I.* anno 1486. factam Francofurti electionem in Regem Romanorum ridentem, eumque *Consulem Augustanum* vocantem, prudenter vocavit *asinum.* (o)

Æneæ Sylv. fabula

Æneas Sylvius, Poëta Laureatus Cæsareus, postea Papa, *Pius II.* dictus, (p) alias inter, quas affert, rationes, cur homines hodie

(l) chron. monast. S. Mich. intra Hildesiam apud Meibom. T. II rer. germ. script. p. 523. M. J Mich. Lang. in disp. inaug. de veritate rei habit Altdorf. anno 1687. coroll. 26. p. 61. L. Rechenberg. in diss. de ineptiis Clericor. Roman. literariis §. 14. (m) Plaut. Aulular. a. II. sc. 2. v. 57. (n) Frid. Taubman. L. I. epigr. p. 325. (o) Vid. D. Thulemarii tr. de Octo Viratû c. 19. §. 10. pag. 285. (p) L. I. epistol.

die minùs colant Poëſin, quam olim, de *aſino* facetam recitat fabulam, quam repetit *Aldrovand.* (q) *Cleanthes* abs oſoribus cùm dictus eſſet *aſinus*, confidenter reſpondit: *ita, ſum quidem* aſinus, *ſed qui portare poteſt ſarcinam* Zenonis. (r) *Cliſthenes* infenſiſſimo odio Sicyonios perſequens, mox *ſuarios*, mox *aſininos*, modò *porcarios* vocabat. Apud Ægyptios ſi cui nomen *aſini* objiceretur, maximum probrum erat. Inde cùm *Ochus*, Rex Perſarum, ab Ægyptiis diceretur *aſinus*, adeò excanduit inquiens: *faciam, ut hic* aſinus *veſtrum devoret* bovem. *Apim* enim immolavit victâ Ægypto. *Scipio* mentis tarditatem *C. Metallo* exprobraturus ajebat: *Si quintum pareret mater ejus*, aſinum *parituram. Ditmar. Merſenburg.* (s) de Polonis ita: populus more *bovis* paſcendus, & *tardi* ritû *aſini* caſtigandus, & ſine pœna gravi non poteſt cum ſalute Principis tractari. *Brocardus* Monachus in deſcriptione terræ ſanctæ, de ejus agens incolis, ſcribit, circa caſtrum *Arachas* poſt Tripolim habitare Saracenos, qui *Vanni* dicuntur, hîs ſociari alios Saracenos, quos *aſininos* vocant, habitantes in montanis usque ad caſtrum *Antheradum*, plurima habentes caſtra & oppida, & fertiliſſimam occupantes terram. Cur verò *aſini* dicuntur? fortè quòd Eccleſiæ Romanæ ſeſe aliquando ſubjicere

Cleanthes

Cliſthenes

Ochus

Scipionis dictum & Ditmar. Merſenburg.

aſinini.

(q) l. c. p. 157. (r) Pierius L. XII. hieroglyph. cap. 22.
(s) L. VIII. chron. p. 132.

voluerint. Nam & Christiani olim ignominiosè dicti sunt *asinarii*, quòd Christum colerent *asinæ* insidentem. (t)

Parisios stolidum si quis transmittit asellum,
Si fuit hîc asinus, *non ibi fiet* equus. V. V.

Apud Græcos frequens erat sphæræ ludus, quâ qui vicisset, *Rex* dictus, victus verò ob ignominiam *asinus*, qui imperantis sui Regis mandata faciebat. Hinc clamantium vox, βασιλεὺς, ἢ ὄνος. Rex, aut *asinus*: aut victor, seu victus. (u) *Asinus* ad lyram, ὄνος λύρας subaudi ἀκροατὴς, *asinus* lyræ auscultator. Hunc titulum proverbialem *M. Varro* satyræ suæ cuidam præfixit. Ὄνος λύρας ἤκουσε, καὶ σάλπιγγος ὗς, *asinus* lyram auscultavit, & porcus tubam. Ὄνος πρὸς αὐλὸν *asinus* ad tibiam. Nihil frequentius in conviciis quotidianis quàm vox *asini*. Du grober Esel/ du fauler / du undanckbarer / du stoltzer Esel. At quorsum singula? (2) Sumitur pro *vorace*. Hos enim olim *asinos* vocabant. Hinc *Erysichton*, ille voracitatis stupendæ homo, κανθών dicitur Æliano, (w) *asinum* vertit *Justus Vultejus*, & ante eum *Lil. Gyraldus*. (x) Hinc adagium apud Stagiritam: (y) ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ, *asinus* famelicus non curat fustem. Vide plura hanc in rem apud *Cl. Demsterum*.

adagia asinina

(2) pro vorace

(t) Aldrov. l. a. p. 147. & Sect. III. cap. penult. (u) Plato in Thyæt. (w) L. I. V. H. c. 27. (x) de Poët. histor. dial. 9. (y) L. III. Moral.

sterum. (z) Ego in voracissimum Westfalum, nomine Bock, ita: (a)

Ore asinus, sed nomine nil nisi natus es hædus,
hunc, quæso, monstrum quis neget esse caprum?

Ὄνȣ γνάϑος, *asini* mandibula, in ignavum, edacem, frugesque consumere natum. (3) pro illis, *qui in pistrino laborant*, quòd idem illis incumberet labor ad trusatiles molas, qui *asinis* ad versatiles; & molæ contemtim *præsepia* vocabantur. Hûc traxeris istud Plauti: (b) *quin recipiet se hûc esum, ad præsepim suam.*

(3) pro laborante in pistrino,

Et non pistrino traditur atq; asino; (c)

Ubi *asinus* pro labore *asinario*, ùt pistor pro pistrino. *Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo.* (d) Ita *muli* Mariani dicebantur milites, onera sua in furca portantes. *Franciscus Asinensis* corpus suum *fratrem asinum* appellitabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum, ùt *Bonaventura* explicat. (e) (4) *pro membro virili*, quod Græci ὄνον dixêre. (f) *Ferax quippe hæc bestia, rupto freno, in illicita sæpe arva irruptionem facit, & in vetitum, ne dicam fœtidum, nititur.* (g) Certè Commodus Imperator ob gran-

(4) pro membro virili,

(z) in Paralip. ad lib. V. A. R. c. 29. p. m. 821. (a) C. II. epigr. m. num. 22. (b) Curcul. a. II. sc. I. v. 13. (c) Catull. carm. 91. (d) Plaut. Epidic. a. II. sc. 1. v. 18. (e) c. 5. vitæ ejus, (f) Petr. Ravanell, Part. I. biblioth. sacr. p. 243. b. (g) Plazon. L. I. de part. generat. c. 16.

(5) pro libris L. Apulej.

grandia genitalia dicebatur *asinus*. (5) *pro libris Luc. Apuleji*, Madaurâ Afri, Philosophi Platonici, de *aureo asino* scriptis. Vide de eo etiam *Joann. Albert. Fabri Decad. Decad. seu plagiariorum & Pseudonymorum Cent.* (h) Ejusdem argumenti est cum *Luciano asino*, Apulejus tamen omnia pleniùs tractat, multis immixtis aliis. Institutum est, naturam moresque hominum delineare, ut moneantur, ex hominibus *asinos*, & contra fieri, quando voluptatibus belluinis immersi *asinina* stoliditate brutescunt, omni luce rationis extinctâ. Calcatis verò voluptatibus, exutisque corporis voluptatibus, resipiscentes ex *asinis* fiunt homines. At vide tu integram hujus *Apuleji* vitam, studia, scripta, & singula, ab Excell. D. *Mollero*, Prof. Altdorfino, Amico honoratissimo, in singulari disp. eleganter descriptâ (i) (6) pro *re abjecta & vilissima*. Inde proverbium: *asinus Ægyptius*, der nicht einer Lauß werth ist. Nec *asellum* accipere, i.e. vilissimum munusculum, ne floccum hilumve quidem. (k) Heliogabalus tamen *asinos*, ceu grandia & magnifica dona, populo Romano distribuit. (7) *pro ingrato*. Sic Plato Aristotelem *mulum* dixit, quòd in illum, Doctorem suum, recalcitrâsset ingratissima bestia. *Mulus* enim cum saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem. (l) (II.) Ponitur Geo-

(6) pro re vilissima.

(7) pro ingrato.

(II.) Geographice

(h) num. 58. (i) anno 1691. (k) Num. XVI. 15. (l) Vid. Petr. Gassend. L. I. advers. Aristot. exercit. 3.

Geographicè (1) pro *oppido* Midæ, cui nomen fuit *asini aures* Esels-Ohr/ & ideo putant incidisse in fabulam, quòd auritus foret. *Sabin. ad L. XI. Metam. fab.* 4. *Onuphiles* urbs Ægypti apud *Herodotum*. (2) pro *promontorio* Peloponnesi, malea, à forma ὄνȣ γνάϑ☉ dicto, i. e. *asini maxilla*. (3) pro *castello* munito, quod est, scribente *Strabone*, in transitu ad Eubæam, & *Antronii asinus* dicitur. (4) pro *montibus* in agro Megareno, notante eodem, quos *Oneos*, seu *asinarios* vocant. (5) pro fluvio *Asinaro*, quo de infrà. (m) (6) pro *aurifodina* propè montem *Reichenstein* in Silesia, der güldene Esel nominata, qua de Amicus noster *D. Lucæ*. (n) Unde Silesii *onophagi* dicuntur. (o) (III.) Astronomicè pro duabus stellis, quas *Varinus* in cancri sidere occasum versùs collocat, *Aratus* verò eas ex altera parte præsepis consistere canit. Est autem *Arati* sententia, explicante *Natali Comite*, (p) quòd nubecula quædam in cancri ostraco inter scapulas existens habeat utrinq; stellas, quæ *aselli* dicuntur, quare illa vocatur *præsepe*. Ubi igitur illa nubes pura & aperta videtur, serenitatis futuræ signum est. Καὶ ἡ τȣ ὄνȣ φάννη, ὅτε αἰ καϑαρὰ καὶ λαμπρὰ φαίνεται

(1) pro urbe

(2) promontorio

(3) castello

(4) montibus

(5) fluvio

(6) aurifodina

(III.) Astronomicè pro stellis in cancro.

ἐυδιει-

p. m. 55 seqq. Borrich. L. de Hermet. Ægypt. ac Chem. sapientia c. 10. (m) Sect. II. Part. I. c. 1. §. 2. (n) in chron Silesiaco Part. IV. c. 10. p. 1433 seq. (o) Vid. lagograph. m. curios. S. I. c. 1. p. 19. colloqu. menstr. german. an. 1689. p. 580. seq. & Nos infrà S. II. P. I. c. 1. §. 4. (p) L. V. Mytholog. c. 8.

εὐδιεινὸν, i.e. *asini præsepe* cùm purum splendidumque apparuerit, signum est futuræ serenitatis. Versus *Arati* verò ita emendavit *Natal. Comes*, cùm *Rufus Avienus* parùm accuratè eos reddiderit:

Hinc præsepe *nota, nubes id parva videtur*
in Boream Surgens, ubi fulgent sidera cancri.
Hoc propter geminæ *volvuntur lumine* stellæ
pertenui, nec longinquæ nimis: haud tamen illa
conjuncta, spatioq; ulnæ distare videntur.
Altera fit Boreæ propior, devergit in austrum
altera: & hæ dicuntur aselli, *separat istas*
in medio præsepe *polo, idq; repente sereno*
ex oculis hominum vanescit, at hæ coëuntes
fiunt vicinæ stellæ, & simul esse videntur,
imbribus immodicis ùt Juppiter arva rigabit.

quî in cœlum venerint? Quâ occasione autem *aselli* astrorum catalogo inscripti sint, ita fabulantur Poëtæ. *Liber* à *Junone* furore objecto mente captus fugit per Threspotiam, cogitans ad Jovis Dodonæi templum pervenire, unde peteret responsum, quî faciliùs ad integritatem mentis rediret. Sed veniens ad vastam quandam paludem, quam transire nequibat, ex duobus *asinis* obviam fortè factis unum arripit, eôque transvectus, ut aquam minimè tetigerit. Ventum cùm esset ad Jovis *Dodonæi* templum, statim dicitur à furore redemtus. In signum gratiæ *asellos* inter astra collocavit. (IV.) MEDICE pro instrumento *chirurgico*, luxatorum curationi accomodato. (V.) ME-

(IV.) medicè pro instrumento chirurgico, (V.) Mechanicè

CHANICE, (1) pro *lapide molari*, (1) pro lapide molari,
ùt rudit à scabra turpis asella *mola*; (q)
& alibi: *& quæ pumiceas versat* asella *molas.*
Videatur omninò Illustris *D. Ludolfi* Commentarius ad Hist. Æthiopicam, qui ex voto tibi faciet satis. (r) Accuratissimè enim explicuit vocabula ista, *metam catillumque*, & contra omnes Lexicographos evicit, *metam* pro superiori, at *catillum* pro inferiori parte molæ accipi debere. Illam Græci ὄνον vocant.
(2) pro *sucula*. Est autem hæc machina tra- (2) pro sucula,
ctorii generis, tereti ligno constans, duobus aut pluribus vectibus trajecta, utrinque æqua exstantibus longitudine. Hæc dum versatur, funis qui ductarius dicitur, circa volvi- (3) pro axi, fuso &c.
tur. (s) (3) pro *axi, fuso, vasis genere, & unione in tessera.* (t) (4) pro *ludi genere*, ἐρωνία dicto. (u) Tessarius quidam ludus, vulgo ab (4) pro ludi genere
asino scarica l'asino nuncupatur Bononiæ, quasi *asinus* sarcinâ liberatus, propterea quòd is, qui vincit, latrunculos simul in eodem loco collectos, pro tesserarum jactu, prius per diversas abaci lusorii areas disponit & deinde eximit. (5) *onager* pro *instrumento bellico* su- (5) pro instrumento bellico
mitur, quod dirigit lapides, & pro nervorum crassitudine ac magnitudine saxorum pondera

(q) Ovid. L. VI. Fast. (r) ad L. IV. c. 4. p. 565. (s) vid. lexic. philolog. Martin. (t) vid. Reyher lexic. latinitat. pag. 1780 Martin. l. c. D. Brùnon. lexic. Medic. in voce asellus, & Aldrovand. L. I. de quadrupedib. c. 2. p. 141. (u) Martin. l. c.

ra jaculatur. (w) Sunt etiam *onagri* machinæ, ἀγριάγες dictæ, quæ injectæ accedentes corripiunt. (6) pro *saxeo* isto *monumento*, quod in forma *asini* Naupliæ spectatur, teste *Jonstono*. (x) (7) pro *ligneo palmarum asino*, Palm-Esel?

(6) pro monumento saxeo (7) pro asino ligneo, Palm-Esel/

Quattuor atq; rotis trahitur quem manè paratum
ante fores templi statuunt: populus venit omnis,
assumuntq; asinum, & per vicos atq; plateas
carmina cantantes. (y)

Asservabatur in sacrario templorum Lipsiæ [ait *Cl. Peifer.* (z)] simulacrum, ad justum modum *jumento*, & *hominis insidentis*, è ligno fabrefactum, id mensæ & rotis impositum *verbenaliorum* die ex æde Thomana in forum ducebatur, eoque pueri & senes conveniebant, tunc horum flamines ex adverso consistentes illud ramis frondescentibus, quos salicibus detraxerant, petebant, alludentes ad historiam Jesu Christi, qui vectus *asello*. Solymorum urbem quondam ingressus, à turba plaudente faustis acclamationibus exceptus fuit viâ, qua ingrederetur, viridibus olearum & palmarum frondibus constrata. (a) (VI.) PHYSICE sumitur (1) *pro corpore naturali vivo senti-*

(VI.) Physicè (1) pro corpore naturali vivo sentiente imperfecto,

(w) Vegetius L. IV. c. 9. & 22. (x) Thaumat. nat. class. VI. cap. 2. p. 292. (y) vid. Jacob. Herrenschmieds postill neosymbol. Part. 1. p. 410. (z) L. III. rer. Lipsiens. §. 9. p. 294. seq. (a) Conf. M. Ludovici Septiman. sanct. §. 23.

sentiente, & quidem (ut scholæ loquuntur) *imperfecto*, scilicet *locustæ* genere, alis carente, quod aliàs dicitur ἀσίρακος. (b) (2) pro infecto isto, quod germanicè Eselgen/ seu Kellerwurm vocamus, græcè ὀνίσκον & ὄνον, quodque in locis humidis & sub lapidibus, vasisq; aquâ repletis nascitur, ad tactum sese contrahit, & rotundat, cujusque usus insignis est in curanda *arthritide vaga*, teste *Mollenbrocc.* in aureolo suo de hoc morbo tractatu. (c) Nephriticus ab assumto sæpius pulvere *asellorum* levamen senserat, lapidesque & arenas copiosas in matulam deturbârat. Postquam autem remedio huic institisset, sensit demum in ductu urethræ dolorem ac titillationem insolitam, calculumque ibi hærentem ratus, cum lotio excrevit *asellum* vivum planè albicantem, sine ullis calculis in matulam labentem. (d) De muliere, quæ cum urina animalcula, *asellis* similia, linguamque viperinæ similem vibrantia, excrevit, vide *Zodiac. Med. Gallic.* (e) Cum vomitu à cachectico expulsos refert *Binninger*, (f) cum lochiis à partu rejectis Nos alibi. (g) De *talpa* in homine nata vide *tract. nostr. de talpa.* (h) (2) *pro corpore naturali vivo perfecto, eoque natatili*, ùt *asello*

(2) pro millepedibus

observatio

alia

(2) pro corpore naturali vivo perfecto, eaque natatili,

B

(b) Dioscorid. L. II. c. 57. (c) c. XIII. p. 237. seqq. (d) Act. Med. Hafniens. T. V. obs. 105. p. 276. (e) ann. V. p. 91. (f) C. IV. observ. 3. (g) C. I. observ. m. Medico-Phys. 79. Conf. Part. I. Zeitkürtzender Lust them. 44. (h) S. I. c. 3. §. XI. p. 91. seqq.

asello, quem Germani vocant Stockfisch/ Graji ὄνον, ideò quòd in cerebro lapides habeat molarum similes, licèt rectiùs à similitudine cory *asinini* deduxeris, (i) seu, quòd non nisi fustibus bene agitatus mollescat, ut coquatur. (k) *Christianus* I. Daniæ Rex *Sixto* IV., Pontifici Romano, annô MCCCCLXXIV. raritatis ergò, in urbe tunc præsens, è tribus suis Regnis, Svecia, Norwagia & Dania, misit *asellum siccum, halecem* & *mustelam albam*, referente ex Huitfeld. in Hist. *Christiani I.* D. *Thoma Bartholino.* (l) *Asellum* hermaphroditum dabit idem. (m) De luce eorum nativa idem prolixiùs disseruit. (n) Vel (3) *pro corpore naturali vivo ratiocinante.* uti est *Asinius* Pollio, *Asinius Gallus*, Generosi *Riedeselii, Riedhemii*, & alii, de quibus infrà distinctiùs. (o) Vel (4) pro *parte saltem corporis humani*, scilicet ala, vel axilla, quæ *asella* dicitur. *Abscondit piger manum suam sub asella*, in sinu, in olla, in patina, (p) der Faule verbirgt seine Hand im Töpffen. *Luther.* Nos fabimur de *asino domestico*, bruto quadrupede & rudente.

(3) pro corpore naturali vivo ratiocinante

(4) pro axilla

propriè pro bruto rudente

Este procul lites, & amara prœlia linguæ! (q)

CAP.

(i) Martin. Lexic. philolog. (k) Conf. Linden. exercit. XI. §. 20. seqq. & Rondelet. Lib. IX. de piscib. c. 9. (l) dissert. VI de Medicina Danoz. domest. p. 296. (m) Dec. I. Eph. curios. ann. I. obs. 125. (n) L. II. de luce animal. c. 15. p. 232. (o) S. II. Part. I. c. 2. (p) Prov. XIX. 24. XXVI. 15. (q) Ovid. L. II. de art. amand. p. m. 219.

CAPVT II.
DE DEFINITIONE ET DIFFERENTIA ASINI.

§. 1.

Est autem asinus *brutum quadrupes, idque rudens, laboriosum, sed tardum, pigrum & stupidum, valde tamen utile.* definitio asini.

§. 2. Dixi *brutum.* Ἄλογον enim ζῶον est, ipsius Spiritûs Sancti testimonio, dicentis: *nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* (r) Licet *asinus* ille Philosophi cujusdam aliquot amphoras vini biberat, ne tamen vel tantillum rationis habebat, ut Domino, à quo largiter & tam benignè erat acceptus, gratias egisset. (s) Quòd verò *asina Bileami* (t) fata sit, miraculum est, ipsa aliàs ὑποζύγιον ἄφωνον erat ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον; (u) castigans *Bileami* παραφρονίαν. Vide fusissimè de ea singularem dissertationem M. *Joann. VVilhelmi Hilligeri.* explicatio, brutum

§. 3. *Quadrupes.* Dantur enim *bipedes asini* in aulis & caulis, ut justi questus sint illius Itali apud *Harsdörferum* (w) ajentis: *Trojam periisse magno equo, at quot nationes & provinciis perdunt* asini? nec ineptè dixit, quisquis dixit: quadrupes

 Car-

(r) Psal. 32. v. 9. (s) Thom. Sagittar. exercit. phys. XII. th 16. (t) Num. 22. v. 28. (u) 2. Petr. 2,16. (w) Part. I. der Gesprächs-Spiele p. 213.

Carminis Iliaci libros consumsit asellus,
hoc fatum Trojæ est; *aut* equus, *aut* asinus.

Nascimur ut pullus *onagri*. (x) At qui sine intellectu vivit, i. e. sine pietate, virtute & doctrina, *jumentis* comparatur. (y)

rudens §. 4. Idque *rudens*; quod proprium *asini* est, gygacken. Ὀγκᾶται μόνος ὀκάνθων, solus *asinus* rudit, ideò græcè μεγαλογκητής dicitur, quasi *grande rudens*. *Oncat* tamen potiùs, quàm *rudit*. Hoc enim, teste *Josepho Scaligero*, etiam leonum, suum, & aliorum animalium est.

Quirritat verres, turdus rudit, oncat asellus,

ait *autor philomelæ*. *Oncare* tamen est ab ὀγκᾶν & ὀγκᾶσθαι rudere,

- - asinos *quoq;* rudere *dicas*,
cùm vis Arcadicum fingere, Marce, pecus. Auson.

Hæc autem rudendi vox (βρῶσις) *asinabus* negata est. Impropriè igitur ab *Ovidio* (z) dicitur:

ut rudit *à scabra turpis* asella *mola*.

Ferunt non rudere *asinum*, si lapidem caudæ habeat alligatum. Sed nugæ sunt. *Porrectis auribus perflatisque naribus* rudivi *fortiter, imò tonanti clamore personui*. (a) Rudere inter stirpes dicuntur, (b) qui propter nequitiam ejecti sunt ex consortio hominum.

laboriosum §. 5. *Laboriosum*. *Omnibus oneribus patienter dorsum supponit, facilem terram aratro proscindit,*


(x) Job. 11. v. 12. (y) Psal. 49. v. 21. (z) L. VI. Fast. (a) Apulej. L. VII. de asino. (b) Job. 6. v. 5.

scindit, nec minima pondere vehicula trahit; molarum & conficiendi frumenti penè solennis est hujus pecoris labor: omne rus tam necessarium instrumentum desiderat asellum, qui pleraque utensilia & vehere in urbem, & reportare collo, vel dorso commodè potest. (c) Hinc adagium Germanorum: Man rufft den Esel nicht ehe nach Hofe/ er soll denn Säcke tragen. Robustum insuper est, seu animal valens ossibus, penuriæ, famis, plagarum, laborumque tolerantissimum. Omnem vitam suam, velùti, Stoici Philosophiam moralem, hisce voculis comprêndit: ἀνέχου καὶ ἀπέχου. (d) *Alfonsus*, maximus Arragonum, Neapolitanorum, Siculorumque Rex, Capuam proficiscens, cùm videret quendam auxilium implorantem ideò, quòd *asellus* in lutum lapsus esset farina onustus, illicò equo desiliit, *asinumque* in cæno hærentem sublevavit. Quare nonnullas Campaniæ gentes sibi Rex conciliavit, narrante *Pontano*. (e)

§. 6. Sed *tardum & pigrum*: lentè grandiens *Ovidio*, (f) βραδύπους i. e. lentipes, νωθὴς piger, ignavus. Hinc *Trigæus Aristophanicus* monens scarabæum, ut paulatim & tardiùs volet, *asinum* vexat. Et ideò posteritas *Isascharis* ei comparatur, quæ robusta quidem, at tarda & otii amans. (g) Ossea erat tribus ista — sed tardum & pigrum

B 3

(c) Corn. Agrippa in encom. asin. c. f. de vanit. scientiar. p. 2343. (d) Agell. L. XVII. (e) de beneficentia c. 6. (f) L. XI Met. f. 4. (g) Gen. 49, 14.



ista in bello, (h) & quod pro Davide gerebant Zabulonitæ. (i) Puniendi equi & *asini*, (k) i. e. indomiti, superbi & pigri. Martialis (l) vocat *veterno resinâque pigriorem*, Turneb. autem legit: (m) *Vejentone asinoque pigriorem*, quam Lectionem *Lipsius* probat. (n) Jocatur Vir eruditus, Phaëtonta meliùs sibi consulturum fuisse, si pro equis *asinos* currui Solis junxisset, quibus non tam generosi & præcipitati sunt spiritus. (o) In Ægypto tamen & Palæstina tanta tollutariorum velocitas est, ut quadraginta possuum millia uno sine noxa die absolvant. (p) Leo in pedes posteriores erectus, anterioribus verò lanceam, gladiatoris animosi ritû, sublatam *asino* & porco intentans pingitur cum lemmate: *pungit inertes*. (q) Plura de hoc animali, ut tarditatis & timiditatis symbolo, dabunt C. F. *Franckenstein*, (r) & *J. F. Meyer*. (s)

& stupidum §. 7. Et *stupidum*, imò omnium stupidissimum animal. (t) Agnoscit tamen præsepe Domini sui (u) vocemque ejus, viam, quam crebriùs ambulavit, probè novit, *& aliquando dux*

(h) Jud. 5. v. 14. (i) 1. Paralip. 17. v. 2. Conf. Deut. 33. v. 18. (k) Zach. 14. v. 15. (l) L. 13. ep. 25. (m) L. 13. advers. cap. 19. (n) L. 1. quæst. epist. 5. (o) Phil. Caroli animadv. in Agell. L. 1. cap. 2. (p) Scalig. exercit. 217. S. I. (q) Vid. emblem. Altdorf. Dec. 3. p. 290. (r) diss. de Consiliar. §. 38. (s) in lance satura cap. 26. (t) Galen. L. 2. M. M. (u) Esa. 1. v. 3.

dux itineris homini aberranti contingit. (w) Foveam, in quam semel lapsus est, cautè vitabit.

Infelix operam perdas, ut si quis asellum
in campo doceat parentem currere frenis, (x)

i. e. indocilem docere. Scribit tamen *Cardanus* (y) ex *Joanne Africano*, teste oculato, circulatorem quendam in suburbio civitatis Cairi, nomine *Bebelloch*, singulis diebus Veneris [qui festi sunt Muhammedanis] *asinum* habuisse ita instructum, ut ad tibiam saltaret, & voce in aurem insusurrata concideret supinus sponte, clausis oculis, inflareturque, quasi venenum bibisset, nec minis adductũ, nec verberibus, ut surgeret; blanditiis verò, ac spe vehendi formosas mulieres propositâ, alacrem surrexisse. Ubi verò audivisset, vehendas esse anus, demissis auribus claudicasse, aliaque similia fecisse, quæ magnæ solertiæ indolem spirabant. *Aldrovandus* quoq; refert, (z) ipsismet oculis suis se vidisse, Germanum quendam circulatorem *asinam* & capram per omnia Italiæ loca secum traxisse, & non mediocre lucrum inde sibi comparâsse, ob miras earum gesticulationes, quas edoctæ erant. *Asina* enim ter primùm pro soni diversitate tripudium immutabat, tripudiando anterioribus pedibus erectis summâ asinus docilis

(w) Basil. homil. 8 in Hexaemer. (x) Horat. L. I. serm. I. (y) L. X. subtilit. (z) L. I. de quadrupedib. c. 2. p. 144.

alacritate, mox velut gaudio in mœrorem converſo proſternebat ſe in terram, ac velut apoplectica immobilis jacebat, nec calcibus aut pugnis adduci poterat, ut ſe moveret. Juſſa deinde, ut ſpectatores ſalutaret, oculos caputque erga omnes convertebat, flexisque anterioribus poplitibus ſalutabat. Ad nutum quoque heri per ligneum circulum trajecto corpore ſaltabat: projectum in terram ſudaarium, vel chirothecam, ore colligebat ac Domino referebat. Idem narrat *Geſnerus*, teſtis, oculatus, (a) de *aſino*. Citatus *Aldrovandus* etiam ſiſtit *aſinum* Africanum, ſuâ ſponte qui ſe mortuum ſimulabat, ne lapides, queîs plus equo onerabatur, ferre cogeretur. Alium vidit, qui peſſulum oſtio obductum ore reſerabat à nemine edoctus. Quid? quod *aſinus* anno 1647. ab *Avenionenſibus* publicè & ſolenniter creabatur Doctor, teſte *Maſenio*, (b) Hi enim totâ urbe magno numero collecti, aſinum pompâ apparatuque prorſus ſolenni in bacchanalibus Doctorem renunciarunt. Ferebatur is totâ urbe currû eleganti, ſex aliis *aſinis* vectoribus. Volumen ingens oculis in pulpito objectum, ad quod ipſe grandibus conſpiciliis inſtructus obtutum verterat. Hinc *Ariſtoteles*, inde *Plato*, Philoſophico inſignes ſchemate, aderant, illuſtris

creatur Doctor

(a) in hiſt. quadruped. Conf. Chriſtoph. Harraut P. II. itin. oriental. p. 568. & 729. (b) in ſpeculo imagin. occult. veritatis c. XXXII. p. 423.

illustris juxta comitatus, præter pedestrem bis mille equitum. Denique loco eminenti conspicuus *asinus*, in aliquot Virorum Principum, totiusque urbis Primorum conspectu, Doctoralibus exornatus est insignibus, Musicis juxta scientissimè applaudentibus. Mira etiam *Lucianus* de *Lucio* suo in *asinum* verso, deque gesticulationibus ejus memorat. Quid ὄνος παρὰ Κυμαίοις? *asinus apud Cumaeos?* nisi ineptissimus & stolidissimus hujusmodi *Doctorellus*, quem *asinum* pelle leoninâ indutum graphicè descripsit *Joannes Major*. (c) Sed valeant isti ὄνοι ἐν μύρῳ, *asini in unguento*. Cordatè interim *Ludovicus Vives*: (d) *quæstuosa*, ait, *res cœpit esse scholarum regimen & emtum est, non secus ac mercimonium promercale, ut revenderet, qui erat mercatus: quæsitnm est pretio, ambitu, ne quid deesset dedecori ac indignitati, armis quoque. Qui erat adeptus, agebat, propter quod quæsierat. Nullus locus, nullus honor, nulla dignitas denegata est ei, qui numeraret.* Indixerat nobilis quidam villico suo mulctam argenteam, quam se ob inopiam solvere posse negabat. Ergo, ait ille, doceas *asinum* meum legere. Id equidem, respondet colonus, lubens faciam, modò *decennii* moram mihi ad hunc laborem indulseris. Ita fiat. Cùm domum rediret rusticus, narrat uxori suæ. Quid tu, clamat hæc, spondes æternùm non præ- *faceta historia*

B 5 standa?

(c) apud Dornav. in Amphitheatr. sapient. socrat. T. I. p. 502. (d) L. I. de caus. corrupt. art.

ſtanda? eja, ô mea, antequam decennium hoc effluxerit, vel ego, ſeu nobilis, aut *aſinus* fato functus ſuo, & ſic contractus noſter ultrò erit reſciſſus. Neſcio cur facta ſit in ſcholis *aſinorum* reſponſio ingenuum iſtud *neſcio*. Bene *Frid. Hofmann*. (e)

neſcio an aſini reſponſio?

Neſcio, *cur* aſini reſponſio, *Coſte*, *vocetur*,
neſcio *prudentis ſit quoque Sermo Viri*.
Dicito, quâ ratione Deus ſit trinus & unus?
neſcio, *ſi dicis, tu ſapienter ais*.

Eſt enim humanæ ſapientiæ pars, quædam *æquo animo ignorare* velle. (f)

valde tamen utile

§. 8. *Valde tamen utile*, vivum mortuumque. Hinc ab ὀνῆμι, à *juvando* Græci eum vocant. Vix enim beſtiam reperies in ſacris, quâ veteres magis uſi ſint præter *aſinum*. (g) Næ Orientalibus magna opum pars ſita erat in numero *aſinarum*. Jobus enim (h) 500. antea habebat. Midianitis Iſraëlitarum præda in *aſinis* ſolummodò erat, (i) & Rubenitæ cum confœderatis ſuis ab Agarenis prædati ſunt duo millia *aſinorum*. (k) Damnantur ergò Reges, qui *aſinos* ſubditorum tyrannicè rapiunt ad opus ſuum, (l) aut qui abigunt

(e) C. I. epigr. 15. (f) Scalig. exercit. 307. Sect. 29. (g) Gen. 12, 18. 24, 35. 30, 43. 32, 5 34, 28. 45, 23. 47, 17. Exod. 9, 3. Num. 31, 34. Deut. 28, 31. Joſ. 7, 24. Jud. 6, 4. 19, 3. 19. 1, Sam. 9, 3. 15, 3. 22, 19. 27, 9. 2. Reg. 7, 7. 10. Esdr. 2, 67. Nehem. 7, 69. Job. 1, 3. 42, 12. Zach. 14, 15. Luc. 13, 15. (h) 42, 12. (i) Num. 31, 39. 45. (k) 1. Chron. 5, 21. (l) Num. 3, 12. 8, 6.

gunt *asinum* pupilli. (m) Specialis usus ejus est — usus specialis,

(I.) *ad ferendum onera.* (n) *Ex ea segete* ait Passeratius, *quam stercoravit, aravit ac liravit, collectam messem convehit in horreum, post trituram in pistrinum defert, ibi molam versat, inde domum refert,* &c, ut ait *Virgilius*, (o) — (a) ad ferendum onera.

sæpe oleo tardi costas agitator aselli

vilibus aut onerat pomis: lapidemq; revertens

incussum, aut atræ massam picis urbe reportat.

(II.) *ad arandum.* (p) Hinc subjugis *asina*, seu jugo subdita ad arandum. Non verò licuit *asino* & bove simul arare. Animalia enim ejusdem generis sub jugum agenda erant. (q) Fugienda omnis mixtura, quæ bonos mores, vel sincerum & purum Dei cultum corrumpit, & contrà servanda in omnibus simplicitas. (r) Hûc traxeris istud Paulli. (s) Bos enim & *asinus* diversi generis & disparis conditionis animalia sunt. Illud mundum, hoc immundum: illud dignitate præcellens altero. Hinc illud *Euclionis* ad *Megadorum*, nuptias filiæ ambientem. (t) — (2) ad arandum,

Nunc filiam si locâssem meam tibi, in mentem venit,

(m) Jobi 24, 3. (n) Gen. 22, 3. 42, 26. 44, 3. Exod. 23, 5. Jos. 9, 4. Jud 19, 28. 1. Sam. 16, 20. 25, 18. 2. Sam. 16, 1. 1. Reg. 13, 29. 1. Paralip. 13, 40. 2. Paral. 28, 15. Neh. 13, 15. Esa. 30, 6. Matth. 21, 7. Marc. 11, 7. (o) 1. Georg. v. 274. seqq. (p) Esa. 30, 24. 32, 20. (q) Deut. 22, 10. (r) Levit. 19, 19. (s) 2. Cor. 6, 14. (t) Aulul. a. II. sc. 2. v. 51. seqq.

te bovem esse, & me asellum, ubi tecum conjunctus siem,
ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto.

Malè *Vegetius* (u) mulorum, dixit, equorum, *asinorumque* genus sub sellis, aut sagmis solo tergore præstare officium, cùm ex *Columella* (w) & *Plinio* (x) aptitudinem eorum *ad aratrum* videre potuisset.

(3) ad equitandum, seu vehendum

(III.) *ad equitandum, seu vehendum eos, qui iter faciunt.* (y) Uxor & filii Mosis vehebantur *asinis*, (z) & Balaamus, (a) Hacha, filia Calebi, (b) filii Jairi, (c) & Habdonis, (d) qui in symbolum dignitatis dicuntur equitasse *asellos*, (e) domestici Davidis, (f) Semei, (g) Propheta mendax, (h) & inobediens, (i) Sunamitis. (k) Achitophel *asinam* conscendens laqueo fregit gulam. (l) *Albas* equitare *asinas*, (m) auf schönen Eselinnen reiten / ut Luther. vertit, erat magnæ dignitatis character. Ita triumfantes *albis* vehebantur *equis*, [quo de ritu latiùs in tractatu meo de *candore*, (n)] uti Papa *albis mulis*. De Christo dicitur, quòd insederit *asinæ* & pullo ejus, non utrique simul, nec alternatim, modò huic, modò

(u) L. 2. c. 59. (w) L. 7. c. princ. (x) L. 17. cap. 5. (y) 2. Chron. 28, 15. Esa 21, 7. (z) Ex. 2, 20. (a) Num. 22, 21. seq. (b) Jos. 15, 18. Jud. 1, 14. (c) 10, 4. (d) 12, 14. (e) 1. Sam. 25, 20. 23. 42. (f) 2. Sam. 16, 2. (g) 1. Reg. 2, 40. (h) 13, 13. (i) v. 23. seq. (k) 2. Reg. 4, 24. (l) 2. Sam. 17, 23. (m) Jud. 5, 10. (n) S. III. membr. 2. c. 4.

modò, illi, seu primò *asinæ*, & postea pullo, sed huic tantùm; (o) ùt patet ex collatione *Marci* (p) *Lucæ* (q) & *Joannis*. (r) Alii tamen ajunt, sedisse Christum super *asinam*, seu matrem pulli. Est igitur in locis istis *Zachariæ* & *Matthæi* synechdoche. Nam quia pullo, ait *Beza*, quem conscendit Dominus, adjuncta erat *asina*, quam pullus comitabatur, ideò Christus & matre & pullo vectus fuisse dicitur communi loquendi consuetudine, ut aliquis tribus, seu quatuor equis ire dicitur, si tot habeat comites. Vel copula ET *pullo asinæ* est exegetica vocis antecedentis, i. e. additur ad denotandum per vocem *asini*, aut *asinæ*, quæ præcessit, intelligendum esse *pullum asinæ*. Dico *asini* aut *asinæ*. Apud *Zachariam* enim habetur insidens *asino*, at apud *Matthæum* legitur insidens *asinæ*. Nam hîc in feminino genere ὄνῳ accipiendum esse, patet ex versu 2. & 7. ubi voci huic articulus femininus expresè additur τὴν ὄνον. Vox enim hæc tàm de mare quàm femina usurpatur. (s) Dixi nuper de nomine hujus *asini* distichum anonymi:

Quæris, quî Salvatoris sit dictus asellus?
pace tuâ liceat dicere: Christophorus. (t)

Quod verò Christus urbem regiam ingressurus sedere voluit super *asinum*, eô ostendit, (1) se

dubium evangelicum

cur Christus super asinum sederit?

(o) Zach. 9, 9. Matth. 21, 5. 7. (p) 11, 2. 7. (q) 19, 35. (r) 12, 15. (s) 2.Sam. 19, 26. (t) Vid. differt. m. histor, 13. §. 1.

se esse Regem *pacis studiosum*. *Asinus* quippè pacis, ùt equus belli symbolum est. Hinc *Chrysostomus* (u) *Vis*, ait, *cognoscere mansuetudinem venientis? considera speciem adventus ejus: Non sedet in curru aureo, pretiosâ purpurâ fulgens, nec adscendit super fervidum* equum, *discordiæ amatorem & litis, qui gloriæ jactantiâ pectus habet repletum, qui de longe odoratur bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo; Benè factum! sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam.* (2) se non esse *Regem mundanum*. Magnates equidem ipsi apud Judæos olim *asinis* vehebantur; postquam verò ex commercio cum Ægyptiis Judæa equis abundaret, viliores habiti sunt *asini*, quàm ut ipsis insiderent. Voluit igitur Christus testimonium summæ humilitatis exhibere, & exemplum dare [ùt *Chrysostomus* ait, (w)] ministris Ecclesiæ, ne aut *equis* aut *mulis* sublimiùs ferantur, sed *asino*, quando res cogit, insidere contenti sint. Quàm acerbè *Gregorius Nazianzenus orat.* XXXII. (habita præsentibus centum & quinquaginta Episcopis,) in ipsos Episcopos, qui equis insignibus & lascivis feruntur, sellisque & curribus magnificè attolluntur, atque fastû & pompa deducuntur, tantâ præeuntium turbâ, ut procul conspicuus incessus eorum sit. Qui & de *Athanasio*

Luxus Clericorum

(u) exposit. in Matth. homil. 37. (w) Homil. 67. in Matth. Conf. infrà Sect. III. c. 1. §. 2.

vasio refert *oratione* XXI. *in laud. ejus*, quòd, cùm Alexandriam ingressus esset, rediens ab exilio, *pullus* eum vexerit. Sed & *Chrysostomus* (x) refert, quòd & *asello* veheretur Episcopus, molestè tulisse, atque adeò damnasse homines sui temporis. De *Christiano*, Archi-Episcopo Moguntino, bellum in Italia pro Imperatore gerente, scribit *Kranz.*, (y) quòd *asini* & meretrices in exercitu ejus majores poposcerint impensas, quàm tota Imperatoris familia, quæ tùm opulentissima videbatur. Audi etiam quæ de Abbatibus habet *Bernhard.* (z) *Mentior*, ait, *si non vidi Abbatem sexagintà equos, & eo amplius in suo ducere comitatu, dicas, si eos videas transeuntes, non Patres esse monasteriorum, sed Dominos castellorum, non Rectores animarum, sed Principes, provinciarum.* Adde quæ *Beroaldus* habet (a) de Cardinalibus, ut mirum non sit, si *Cœlestinus* V. Papa eorum animos à se alienasse dicatur, cùm ostenderet, se, Christi exemplo, *asino* vehi velle, Cardinalesque idem facere debere. Sed vide etiam, quæ de ipso Papa, solito *albo equo* vehi, laudatus habet *Bernhardus*, (b) ubi acriter redarguens luxum *Eugenii*, etiam *album equum* maximè ei exprobrat. Cur ergo *Alexander* II. Burcardo II. Episcopo Halberstadensi, Fundatori monasterii Huysburgensis,

(x) homil. I. in epist. ad Tit. (y) L. VI. Saxon. c. 34. (z) in apolog. ad Guilielmum Abbat. (a) L. I. Apulej. de aureo asino. (b) L. IV. de considerat. ad Eugenium Papam.

gensis, familiæ Benedictinæ, inter multa alia privilegia etiam licentiam dedit *albo equo* deferri in Ecclesiam, quo de latiùs in *annalibus* nostris *Huysburgensibus* ?

Ad primum decimâ lapidem quòd venimus horâ,
cùm arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista quidem, non est mea, sed tua culpa,
misisti mulas *qui mihi*, Pæte, *tuas.* (c)

cur Silenus asino vectus ? At cur Silenus *asino* vectus ? Sic enim *Ovidius*: (d)

Venerat & senior parvo Silenus asello,
&: *Fortè senex, quô vectus erat,* Silenus asellum
liquerat ad ripas lene sonantis aquæ. (e)

Hic Bacchi socius ventricosus, senex, & titubans fingitur, quia vinum obesos & ventricosos facit, caput gravat, citiùsque accelerat senium. *Asino* vectus, ceu tardo animali. Sunt enim potatores ad quævis negotia tardiores.

Te senior turpi sequitur Silenus asello,
turgida pampineis redimitus tempora sertis,
condita lascivi deducunt orgya mystæ. Et:
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
sustinet, & pando non fortiter hæret asello. (f)

(4) ad trahendũ currum (IV.) *Ad trahendum currum.* (g) Ubi tamen quidam putant, *asinos* accipi pro *mulis*, queîs uti solebant Elamitæ, seu Persæ, quam gentem

(c) Martial. L. XI, epigr. 80. (d) I. Fast. v. 19. (e) L. VI. Fast. p. m. 133. (f) Ovid. L. IV. Metam. f. 1. (g) Esa. XXI. v. 7.

tem ibi volunt designari per currus *asinorum*. Cùm igitur vidisset [speculator] currū duorum equitum, duos ordines curruum; qui vehebantur ab equis, & quibus milites impositi erant ad oppugnandam urbem, *ascensorem asini* & *ascensorem cameli*, Persas & Medos sub Cyro & Dario. Comparantur Persæ *asinis*, quia tunc temporis abjecti erant & ignobiles, laboriosi, malorumque patientes, non tam solertia militari, quàm corporum robore & militum multitudine bella sustinentes. Tandem licèt Persæ frugales essent, tamen eorum successores luxui & libidini intemperanter indulsêre. Erat igitur *asini ascensor* Rex Cyrus, *ascensor* verò *cameli* Darius, Rex Medorum. Hi comparantur *camelo*, quia bellicosi erant & potentes, hisque animalibus inequitabant: etiam Darius, regio Medorum sanguine natus, illustris, & magnanimus erat. (h)

ascensor asini & cameli

Vixque datur longas mulorum vincere mandras,
quaque trahi multo marmora fune vides. (h)

(V.) *Ad agitandam molam in pistrino*, quæ *asinaria* dicitur. (i) Apud Marcum Tamen (k) est λίθ☉ μυλικὸς, lapis molaris, non μύλ☉ ὀνικὸς, ùt est apud Matthæum & Lucam. (l) *Molarii* hi *asini* in ipsis Vestalibus ab opere cessabant, & floribus coronati mo-

(m) ad agitandam molam

C nilia

(h) Friedlieb. Theol. exeget. T. I. p. 809. (h) Martial. L. V. epigr. 23. (i) Matth. 18. v. 6. Luc. 17. v. 2. (k) 9. v. 42. (l) Vid. suprà S. I. c. 1. §. 5.

nilia quædam è pane gestabant, sicque ad focos ducebantur: Molæ ipsæ sertis & floribus ornabantur, Sic enim *Ovidius*: (m)

Nunc quoq; cùm fiunt antiquæ sacra Vacunæ;
ante Vacunales stantque sedentq; focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto,
fert missos Vestæ pura patella cibos.
Ecce coronatis *panis dependet* asellis,
& velant scabras florida serta *molas.*
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
& fornacali sunt sua sacra Deæ.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat:
strataq; erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum servat pistor, dominamq; focorum,
& quæ pumiceas versat asella *molas.*

At de otio & coronatione equorum *asinorumq;* in festis consualibus alia ratio est, quam in *equo* suo dabit *Aldrovandus.* (n)

Differentia (1) à patria

§. 9. Differunt verò *asini* (I.) *Patriâ. Arcadici* in Græcia optimi, alti & magni, (o) Inde *Arcadicum pecus.*

-- *ut* Arcadiæ pecuaria *rudere credas,* (p)

Uxor tua, quia Regem noluit, aut, ut magis credendum est, non potuit, *asinum* te, ne mentiretur, effecit, dum te etiam cum *Arcadiæ pecuaribus* ad præsepe declinare coëgit. (q) *Reatini* in Italia magno quoque in pretio, ut *Varronis* memoriâ unus eorum veniret sester-

(m) L. VI. Fast. p. m. 133. (n) Conf. Rosin. L. IV. A. R. c. 16. p. m. 618. seq. (o) Isidor. L. XII. c. 1. (p) Pers. sat. III. v. 9. (q) Luitprand. Hist. L. I. cap. 40.

ſtertiis millibus ſexaginta. Imò *aſina* omnium prædiorum fertilitatem ſuperâſſe dicitur. Mirum ergo, *Buſiridas* & *Lycopolitas* maximè *aſinum* odiſſe, ut etiam noluerint tubis uti, cùm ſonum edant *aſinino* ferè ſimilem. *Quid tàm ſuperbam reddit* Arcadiam, *præterquàm* aſinorum, *quos educat*, excellentia? *quid ita* Reatinos *inflat, quàm horum animalium apud ipſos* præſtantia? ait *Cipolus* monachus *in oratione funebri* aſino Ponocrati *dicta*. In Sicilia quoque copioſiſſimi. Alii agreſtes, onagri, alii domeſtici. Hi cunctis noti; & de illis paſſim Autores. An perpetuò epilepſiâ tententur, ùt *Fr. Ranchin*, (r) ait, tute judicabis. Hoc ſingulare eſt, quod Celeberrimus *Ludolfus* (s) de *Zecora* affert. Quod animal muli magnitudine eſt, & pulcritudine amnia totius orbis quadrupedia vincit; ſolis auribus dehoneſtatur, quas paulo longiores habet, ideoque à Luſitanis *Burro du Matto* i. e. *aſinus ſylveſtris* [licèt immeritò] dicitur. Venditum fuit duobus millibus Venetianis, i. e. Zecchinis, ſeu aureis ungaricis. (t) Et tale forſan fuit donum iſtud Regis Aſſyriorum *Ferdinando* Neapolitano miſſum. (u) (II.) *Pulchritudine*. In octavo Perſiæ regno, *Tomachiam* dicto, pulcherrimi & optimi ſunt, ut etiam

Zecora

2) pulchritudine

C 2 unus

(r) de morb. puëror. S. II. c. 2. p. 229. (s) L. I. Hiſt. Æthiop. cap. 10. (t) Vid. icona ejus in comment. ad hiſt. Æthiop. L. I. c. 10. p. 150. (u) Pontan. de magnificentia c. 19.

unus pro triginta auri ponderibus vendatur. (w) (III.) *Magnitudine.* In Illyrica, Thracia, Epiro, nec non in Insula Melita & in Balearibus sunt parvi. *Asellos* habes quoque in sacris. (x) Pygmæorum *asini*, dicente *Ctesia*, ad arietum nostrorum magnitudinem vix accedunt. Contra *Anthronii*, ab Anthrone, Thessaliæ urbe, grandiores & stupidiores sunt. (IV.) *Velocitate.* In Arabia & Palæstina velociores sunt. (y) *Quod nunc equi & muli perficiunt*, [ait Origenes (z)] *hoc* asini *adimplebant, præsertim tales, quales sunt in regione* Arabiæ, *&* Palæstinorum asini, *qui velociores sunt, similiter ut equi.* (V.) *Officiô.* Alii sunt *plostrarii*, qui plaustrum trahunt, alii *dossuarii*, ut *Varro* nominat, (a) qui dorso ferunt onera, seu *clitellarii*, (vel *sommari*, à somma i. e. onere,) qui & *ornati* dicuntur Catoni, ab impositis clitellis, i. e. sellis dossuariis. Quot juga boum, mulorum, *asinorum* habebis, totidem plostra esse oportet. Alii *molarii*, qui molas frumentarias versant, alii *machinarii*, eò quòd catillum seu machinam infixam molæ frumentariæ trahunt volvuntque. (b) (VI.) *Colore.* Nostratium *griseus* est. De *albis*, quas primariæ dignitatis Viri equitabant, vide

(3) magnitudine

(4) Velocitate

(5) officiô plostrarii dossuarii

molarii

mechinarii

(6) colore

(w) Aldrov. L. I. de quadrup. c. 2. p. 124. (x) Gen. XXXII. 15. XLIX. 11. Jud X. 4. XII. 14. Esa. XXX. 24. Joh. XII. 14. (y) Xenoph. L. I. exped. Cyri (z) L. I. in Jobum (a) L. II. (b) Auson. Popma de instrum. fundi p. 15. seq.

vide alibi. (c) Apud Chryſoſtomum (d) *muli albi* aureo regis currui juncti celebrantur; Vanam quoque eorum gloriam redarguit, qui *mulis albis* inſidere gaudebant. (e) *Quæ utilitas*, ait, *quandoquidem* mulæ albæ *ſunt pingues & obeſæ, tu autem inſidens macer, ſcabioſus ac deformis?* Cur verò *Junius Baſſus* dicebatur *albus aſinus?* (f) *aſinus* ob ineptias, & ob jucunditatem earum *albus*, quòd ea diceret, quæ hominibus placerent. *Zeno Alexandrinus* Judæus genti ſuæ nuncium remiſit publicè, traducens *album aſinum* per eorum Synagogam die ſabbatho. (g) Elegans adagium æthiopum, quod *Jacobita* Anoymus affert: (h) *aſino albo & caſto* præſtat bos *impudicus & niger*. Canis vivus melior mortuô leone. (i) (VII.) *Sexû*. Eſt enim mas & femina. Harum ſpecialiter fit mentio in Scriptura ſacra. Reperies enim *aſinas* Abrahami, (k) Jacobi, (l) Joſephi, (m) Judæ, (n) Balaami, (o) Cis Patris Saulis, (p) *aſinas*, ſuper quas David præfectos habebat, (q) *aſinas* Jobi quingentas, (r) *aſinam* cum pullo ad Chri-

Junius Baſſus

(7) ſexu

C 3 ſtum

(c) Jud. V. 10. (d) homil. 80. in Joannem (e) homil. 34. in Act. (f) Quintilian. L. VI. c. 3. (g) Aldrov. l. c. p. 163. (h) in epiſt. ſua ad R. Suſneum contra Patres Societat. & Melchitas in comment. Ludolf. ad hiſt. æthiop. p. 507. (i) Eccleſ. IX. 4. (k) Gen. XII. 16. (l) XXXII. 15. (m) XLV. 13. (n) XLIX. 11. (o) Num. XXII. 21. ſeq. 2. Petr II. 16. (p) 1. Sam. IX. 3. 5. 20 & X. 2. 14. 16. (q) 1. Chron. 27. v. 30. (r) Job. I. 3. 14. XLII. 12.

ſtum ductam. (s) Nebucadnezar à conſortio hominum ejectus dicitur habitâſſe cum *onagris.* (t) *Onager* non rudit apud teneram herbam, i. e., non queritur, ſi cibo ſuo potiatur. (u) Amant *onagri* loca deſerta (w) Hinc ferus homo *onager* dicitur. (x) Aſſyrius comparatur *onagro*, quòd homines ad eum confugientes parùm curaret. (y) Civitas everſa & nunquam reædificanda *onagris* gaudio erit in ſeculum. (z) *Onagri* dicuntur haurire ventum ùt dracones, quô ſignificatur magna ſiccitas & ſterilitas. (a) At *onager* femina alio ſenſû dicitur haurire ventum, (b) ſcilicet ut intelligas, eum libero cœlo frui.

de onagris

Sæpe etiam curſû timidos fatigabis onagros. (c)
Pulcher adeſt onager. (d)

(s) Zach 9. v. 9. Matth. 21. v. 5. 7. (t) Dan. 5. v. 21. (u) Job. 6. v 5. (w) XXIV. 5. Jerem. 2. v. 24. (x) Gen. 16. v. 12. (y) Hoſ. 8. v. 9. (z) Eſa. 32. v. 14. (a) Jer. 14. v. 6 (b) c. II. 24. (c) Virg. III. Georg. v. 409. (d) Martial. L. XIII. epig. 100.

(o)

CA-

CAPUT III.
DE SPECIALIORI ASINI DESCRIPTIONE à VERTICE AD CALCEM.

§. 1.

CAput grande est, & Samariæ quondam magno pretio emtum, (c) LXXX. scilicet argenteis. Ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ, *asini* caput ne laves nitro, i. e. noli sumtus operamve multam impendere in rem vilem sordidamque. Πλίνθον πλύνει, ὁ κόρακα καθαρίζων, laterem lavat, qui corvum mundare vult. Cur verò *asini* caput in templo Bacchi? ut si mulier adulterii accusata fuerit, supra illud juret, & ita liberetur. (f) Ægyptii hominem μαμμόθρεπτον, ein Zitzensöhnlein/ qui nunquam terras vidit aliô Sole calentes, ingeniosè delineaturi, *onocephalum* sistebant. Nolo hîc cum sociis artis meæ longiùs altercari, an Medicum omninò oporteat peregrinari? Si tamen Galenum roges, (g) utique apodemiæ necessitatem seriò commendabit, inquiens: *Jam verò cùm* oporteat *Medicum varias regiones orbis lustrâsse, diversasque civitatum & locorum temperaturas, situs & constitutiones accuratè novisse, ut de illis judicium ferre possit*

Caput

onocephalus

(c) 2. Reg. 6. v. 25. (f) Aldrov. L. I. de quadrup. c. 2. p. 163. (g) in libell. quòd optimus Medicus idem sit philosophus.

ſtrena curioſa

poſſit &c. Parochus ille ſtrenam daturus auditoribus ſuis Kalendis Januar., omnibus ſingulisque vovit *caput bubulum* cum *cerebro aſinino.* Non malè, nec ineptè, ſi expendas

aſini cornuti

iſtud ſanctiſſimi vatis. (h) *Cornutos aſinos* monſtrabunt *Ariſtoteles*, (i) *Ælianus*, (k) *Plinius*, (l) *Jonſtonus*, (m) *Aldrovandus*, (n) *Caſp. Bartholinus*, (o) *Olaus VVormius*, (p) *Sim. Frid. Frenzel.*, (q) *Tavernier*, (r) *Demſterus*, (s) & alii. *Eleo* Elidis regnum obtinente, Dorienſes cum *Ariſtomachi* filiis comparatâ claſſe moliebantur reditũ in Peloponneſum. Claſſis Imperatoribus oraculum dixit, [narrante

Dux triοculus

Pauſania] remigationis ſuæ ducem *trioculum* ut facerent. Neſcientibus, quid hoc ſibi vellet reſponſum, fortè occurrit Vir, *mulum* agens alterô *oculô* captum. Tùm nimirum accuratè conjecit *Creſphontes*, oraculi vocem in hunc hominem intendiſſe, quemque Dorienſes Ducem fecêre. (t) De *aſinis* lachrymantibus videatur *Chr. Krahe us.* (u)

§. 2. *Au-*

(h) Eſa. 1. v. 3. (i) L. II. tt. A. c. 8. & L. III. de P. A. c. 2. (k) L. IV. anim. c. 52. & L. V. tt. V. c. 22. (l) L. XI. c. 37. & 41. (m) L. I. de quadrup. c. 6. p. 39. & Thaumat. nat. Claſſ. VII. c. 2. p. 292. (n) l. c. cap. 1. & 5. p. 382. (o) de unicornu c. 2. p. 11. (p) de cornu aureo Chriſtiani V. p. 37. ſeqq. (q) diſſ. de unicornu §. 3. (r) Itiner. Perſic. L. V. p. m. 220. (s) in Paralip. ad L. V. A. R. Roſin. cap. 30. p. 842. (t) Aldrovand. l. c. p. 175. (u) diſſ. de crocodilo c. 2. §. 31.

§. 2. *Aures* longæ latæque sunt. Longæ ob commodiorem *auditum*, quô eximiè pollet. Putant, si conspicatur ingentem *aurium* umbram, vereri, ne madefiant, ideoque bibentem parciùs os mergere. *Recreabar*, (est vox *asini* Apulejani) *quòd* auribus *grandissimis præditus cuncta longulè sentiebam etiam dissita. Asinus* habitat in *auribus*, man kennt den Esel an den Ohren. Quas si demittat, ostendit, se ponderi haud esse parem. Inter ceremonias istius ritus, quem in scholis *depositionem* vocamus, etiam *aures* eminent *asininæ*. (w) *Quoniam*, ait Sabinus, (x) *plerique Regum ac Principum sunt aut prorsus illiterati aut indoctiores, quàm ut de* Musica i.e. *literis, & honestis artibus, rectè judicare possint*, (nam in aulis, ùt videmus, plerunq; semiliterati doctissimis præferuntur,) *ideò Poëtæ finxerunt*, Midam *admirari agrestiorem* Musicam, *nec favere* Apollini. *Tales enim* Midæ *rarò favent studiis, queîs ipsi non sunt exculti, ac meliùs dijudicare possunt, ut clangat tuba, quàm ut numerus in oratione, vel in versu aptè cadat. Ergo non dubium est, hanc fabulam esse confictam in Principes avaros & indoctos, quibus pluris est aurum quàm sapientia, infantia quàm eloquentia, barbaries quàm eruditio : neq; aliud sunt* aures asininæ, *quæ* Midæ *affinguntur*, *nisi* aures ineruditæ, aures

C 5 Hinc

(w) Vid. M. Dünckel. & alios in Amphit. Sapient. Dornav. T. I. pag. 815. seqq ac Valent Hofmanni oration. de laude depositionis. (x) in L. XI. Metam. f. 4.

Midæ Hinc *Mida* quasi μηδὲν εἰδὼν, nil sciens. Verùm *auriculas asini* quis non habet? (y) *Joannes Passeratius* (z) ita explicat: *Mida* omnia, quæ à suis agebantur dicebanturvé, comperta explorataque fuisse, prudentiaque & consiliô res ita suas composuisse, ut florentissimum beatissimumque regnum ejus exstiterit. Hinc fama sparsa, *aurea* solitum efficere, quæcunque manibus contrectaret. Ἀκίνητον δὲ τὸ οὖς ἄνθρωπος ἔχει μόνος τῶν ἐχόντων τοῦτο τὸ μόριον, i.e. aures homini tantùm immobiles. (a) Certum tamen est, *VVolfgangum Ostermeyer*, aliàs *Kappelmeyer*, Luteri Doctorem Isenaci, dum caneret, utramque aurem motitasse. Et *Muretus* pro lubitu eas movere poterat. (b) *Isibordus ab Amelunxen*, nobilis cœnobita Corbeiæ Saxonicæ ad Visurgim, apud Britones vidit puellam septennem *aures* moventem. Quô spectaculô multos alliciebat. (c) *Autor novell. Gallicar.* (d) recensens historiolam illam, subjunxit: D. Abbatem de Marolles idem testatum fuisse de Philosopho *Crossato*. *Multum*, infit, *referebat hic* Crossatus Cynicorum Philosophus *imagines, quæ inveniuntur in conclavibus curiosorum, incomtus semper, ùt illa, erat, promissam densamque alebat*

aures humanæ mobiles

(y) Pers. Sat. 1. (z) in encomio asini apud Dornav. l. c. p. 499. (a) Arist. L. I. H. A. c. 11. (b) C. Hofmann. comm. ad Gal. L. XVI. U. P. num. 1110. (c) vid. breviar. ej. rer. memorab. T. IV. Dec. II. Eph. curios. annex. num. 27. (d) T. III. anno 1686. Amstelod. edit.

bat barbam, crinibusq; incedere solebat impexis. Singulare praeterea quid habebat, & quod nonnisi in ipso observavi, quòd poterat curvare & erigere aures suas, *quando placebat.* Sed vide sîs venustissimam dissertationem de *auribus humanis mobilibus* Excellentissimi D. *Georg. Franci* de *Franckenau*, Prof. nunc Wittebergensis & Archiatri Elector. Saxon., Fautoris nostri honoratissimi, quam *Cl. Bonetus* (e) integram innexuit. *Alexander de Insula*, Monachus Corbeiensis, vidit anno 1185. capellam nigram cum cauda prolixa & *auribus* planè *asininis.* M. *Henricus* Himmel / Ecclesiastes Mihlanus, bene multa olim mihi retulit de molitoris filio cum *auribus asininis*, brevioribus licèt, nato. ὄνος τὰ ὦτα κινῶν, *asinus* auriculas movens. Dicitur in eos, qui nihil intelligunt, tamen perinde, quasi omnia intelligant, ita nutû alludunt & arrident dicenti. *Ad haec senex quidem ille, velut* asinus, *quatiebat* auriculas. (f) Si diu multùmque eas motilet, pluviam praesagit, ut astrologiam in *auribus* habere credas. Næ de *asino* Ludovici XI. Galliarum Regis *astrologo* videatur Dn. *Francisci.* (g) Scilicet austri auditum hebetant, dicente Coo, caputque gravant. Jam verò multa pituita *in asini* capite, quae quia, componente se in pluvias aëre, hujusmodi animalia exagitare solet, idcircò calore abs motu

puer cũ auribus asininis

aurium motus pluviæ prodromus,

C 5 con-

(e) Med. Sept. L. I. sect. XXIII. c. 1. p. 265. (f) Galen. L. II. de different. pulsuum (g) im Staats-Garten p. 195.

conciliato, quicquid id est, attenuare & dissipare, imò verò in ambientem aërem deponere inprimis nituntur. Si quis catè & feliciter peregrinari velit, comparet sibi linguam parciorem, cor clausum, oculos falconios, *aures asininas*, faciem simiæ, os porcinum, humeros cameli, & denique pedes cervinos. Hoc verò omnem excedit fidem, homines reperiri, *Tutanuchas* dictos, queîs adeò prolixæ *aures* finguntur, ut usque ad terram dependeant, & sex homines sub una condi possint. (h) *Jordanes Saxo*, Ordinis Prædicatorum socius, qui in itinere Hierosolymitano annô 1236. defecit, cùm à Templariis quondam rogaretur, ut festo die concionem haberet sermone gallico, cujus ipse tamen non adeò gnarus erat, conscensâ cathedrâ argumentum concionis gallicè recitabat, explicationem verò linguâ vernaculâ. Indignantibus iis, *ergoné*, ait, *si prominentes* asini auriculas *post maceriam delitescentis videatis, totum insuper* asinum, *diruta maceriâ, in conspectum produci petetis?* (i) De adagio, *in asini aures canere*, vide nos infrà, (k) & de *musica asinina* Dn. Francisci. (l) Præ omnibus animalibus subtilissimè audit, solum si excipias *murem*, ut audacter dixerim: auriculas asini *quis sanus nollet habere?* Notavit *Schopfius* noster, *asinum* mascu-

regulæ pro peregrinante

lepida historiola

auditus excellens

(h) Nierenberg. L. VIII. Hist. nat. c. 1. (i) Aldrov. l. c, p. 156. B. (k) Sect. II. P. I. cap. 10. §. 2. (l) loc. cit.

masculum *auribus* abscissis ad Venerem postea tardiorem, & tantùm non impotentem fuisse. Repeto historiam meam alibi consignatam. (m) *Vitus Zacharias* Hall / miles Westfalus, salax, robustus & fœcundus, trium liberorum pater, annô ætatis suæ trigesimo, ob varia delicta, jure & more bellico, amputatis *auribus*, iisque patibulo affixis, cum infamia urbe ejicitur. Oberrans igitur in terra aliena, stipem collegit ostiatim, quam cùm à me etiam in Imperiali *Brema* peteret, simulque abs aliis intellexisset, Medicum me esse, latiùs cuncta exposuit, seriò addens: ab illo die tribulationis omnem fœcunditatem, adeoque omnem appetitum Venereum in se fuisse extinctum, ut nec vellet, nec posset aut semen ejaculari, vel rem habere cum uxore sua, membro prorsus flaccido, rugoso, adq; omnia officia hæc inepto. Meretricibus equidem olim *aures* pœnæ loco abscindebantur, ut lascivia earum castigaretur, & vis procreationis, simulque pessimorum hominum posteritas, tolleretur. Scythæ etiam sectis retrò *aures* venis steriles facti, de quibus post *Hippocratem* fusissimè in utramque partem disceptant *Vallesius* (n) *Andreas Laurentius*, (o) *Nathanael Highmorus*, (p) *Stephanus*

Sterilitas ab auribus abscissis

(m) Decad. II. observ. m. Medico-Phys. Decur. II. Eph. cur. annex. ann. 7. (n) L. II. controv. med. & philos. c. 8. (o) L. VIII. Anat. quæst. 4. (p) disquisit. anat. L. III. P. II. c. 6.

nus Rodericus à Castro, (q) *Sennertus*,(r) *Caspar à Reyes*, (s) & alii. Rectè igitur Cous: (t) *Maxima siquidem*, inſit, *ſeminis pars è capite ſecundum* aures *in ſpinalem medullam fertur. Ipſe autem meatus ſectione, cicatrice obductâ, conſolidatur, & ita ſeminalis tranſitus aboletur.* Quod Excell. D. *Paul. de Sorbäit*, Medicus Viennenſis, rariori hiſtoriâ illu-

obſerv. ſtrat. Quidam acceptò in occipite vulnere, recuperatâ ſanitate, omnem Veneris appetitum amiſit, ita, ut nec libidinem ſentiret, nec erectionem, nec ſeminis ejaculationem, vel exitum. Dicat adhuc aliquis, caput ad coitum & ſemen nihil conferre, falſamque eſſe *Platonis* ſententiam aſſerentis: (u) ſemen à cerebro & medulla decidere, quæ plurium fuit opinio, licèt non negemus, ſemen eſſe excrementum alimenti ultimi ab omnibus partibus deciſum, ſed maximè à capite. Adde doctiſſimum ſcholium *Sachſii*.

Os §. 3. *Os*, ùt venter, caneſcit. Abroſo ab eo vitis palmite, feraciorem provenisſe vindemiam, experientiâ probat *Jonſtonus*. (w)

Labia & vox *Labia* craſſa ſunt. *Vox* ejus rudere. Cùm Scytharum equitatus in Ægyptios impetum faceret, ruditû *aſinorum* mulorumque inſolito (Ægyptiis enim familiares ſunt,) adeò perterriti Scytharum equi, ut ociùs fugam capeſſe-

(q) in opuſcul. quæ ex quibus L. IV. c. 5. (r) L. III. Prax. P. IX. Sect. 2. c. 1. qu. 1. (s) camp. elys. jucund. quæſt. num. 56. (t) L. de genitur. (u) in Timæo (w) Thaumat. nat. Cl. VII. c. 2. p. 292.

pesserint, & hosti victoriam dederint. De equogradario, qui ad ruditum *asini* hinniit, resiliit, & maximè consternabatur, vide *Aldrovandum.* (x) Et uti ad equitandum aptus est, ita freno quoque regitur, utùt ineptum videatur Venusino. (y) Mas & femina trigesimo mense priores *dentes*, amittit, secundos autem sexto. Et nisi à prima *dentium* mutatione generare incipiant, nunquam pòst generant, sed steriles omninò perdurant. (z) *Asini* maxillâ Simson mille percussit Philistæos. (a) dentes.

§. 4. In *collo* & *pedibus* nigras quasdam lineas habet, quas *Hesychius* μύκλας seu μύκλυς dixit. De humero asini *Esaias.* (b) In *tergo* versùs caudam *crucem* portat nigram, qua de legatur *Frischmut.* (c) In hoc difficiliùs onera sustinet, quàm juxta renes, quòd illîc ossa minùs robusta habeat. Lepidus Poëta *Fridericus Taubmannus* (d) septimæ feminæ originem ita describit: collum tergum

Ex cinere & calloso asinæ *sata septima dorso est;* origo fœminæ poëtica
quisquis amas, tantum disce cavere malum.
Sordida distinctis placet isti moribus ætas,
pacis & ignavâ posse quiete frui.
Non colit officium, nisi voce coacta minisque,
aut humeros calidis acriter usta flagris.

Sola

(x) L. I. de quadrup. c. 2. p. 146. D. (y) vid. cap. 2. §. 7. (z) Arist. L. II. de gen. anim. c. ult. (a) Jud. 15. v. 15. Vid. infrà Section. 3. cap. 4. §. 2. (b) xxx. 6. (c) præloq. dissertat. in loc. Zach. 9. v. 9. (d) in Gynecæo poëtico p. m. 583.

Sola domi secum nigris, sine teste, tenebris
insidens lentum frigida tempus agit.
Nocte vorare, vorare die clàm multa palamq;
hoc unum didicit femina semper opus.
Semper & auriculas ritû demittit aselli,
ac vultû mirâ tetricitate trahit.
Lentè irritatur: sed tunc est tempus abire,
Orphei, quid possit, fata cruenta docent.
Aut nullas mulier, Libycas aut colligit iras,
observare, quod est inter utrumq;, nequit.
Cum quovis solet hæc: cuivis subrepsit amori:
nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Multum aloës, nil mellis habet: na, vir miser hic est,
quî cum consorteis exigit ista thoros.
Hûic & amara dies, & noctis amarior umbra est,
nullaque non tristi tempora felle madent.

asinus portans mysteria

Ὄνος ἄγων μυςήρια, *asinus* portans mysteria, cùm Doctor indoctus creatur, & sic cani paleæ, *asino* ossa dantur. *Pedes luteis induti* (Isiaci) *calceis Deam, serico contectam amiculo, mihi* (jam in *asinum* converso) *gerendam imponunt*, ait L. *Apulej. Madaurensis*, Philosophus Platonicus. (e) Bellè *Alciatus emblem. VII.*

Isidis *effigiem tardus gestabat* asellus,
pando verenda dorso habens mysteria.
Obvius ergò Deam quisquis reverenter adorat,
piasque genibus concipit flexis preces.

Ast

(e) L. VIII.

Ast asinus tantum præstari credit honorem
Sibi, & intumescit admodum superbiens.
Donec eum flagris compescens dixit agaso,
non es Deus tu, sed Deam vehis.

Apud *Gabriam*, seu *Babriam*, (f) interprete *Faërno*, ita:

O stulte, non es tu Deus, sed refers Deum.

Proverbium istud: *aliud Leucon, aliud portat asinus*, cùm verba à factis discrepant, inde natum est: Agricola quidam, nomine *Leucon*, solitus est tres utres *melle* plenos floreis obvolvere; Rogatus ab exactoribus vectigalium, quidnam veheret? *hordeum*, respondit, quò minùs videlicet pecuniæ persolveret. Sed ecce lapsus in terram *asinus* onus suum effudit. Accurrunt exactores in reponendis sarcinis opem laturi. At cùm vident, *mel*, non *hordeum*, in utribus esse, Leuconem obtorto collo in jus trahunt, illumque deridentes ajunt: *alia Leucon dixit, alia portat asinus*. Sunt ergò proprietates *asini* aliud Leucon, aliud asinus.

esca, cubile pigrum, crux, vox, mens, sarcina, proles,
immundus, retrò fortis, lascivus asellus.

§. 5. *Pulmonem* exulceratum notavit D. *Augustinus Schopfius*, Amicus candidus; *Lapillis* refertum *Nicolaus Stenonis*, Anatomicorum quondam oculatissimus, postea Episcopus Titiopolitanus & Vicarius Apostolicus, Amicus, dum viveret, optimus, ùt ipse mihi retu- pulmo

D lit

(f) fab. VI.

cor, lit Hanoveræ. *Cor* magnum, quod omnibus meticulosis vulgò affingunt. Istud, quod Londini Anglorum *D. Jacobaus*, Prof. Hafnienf. Regius, apud *Eduardum Tysonium* vidit, (g) diaphragma non respiciebat, sed apice ad sternum, basi ad dorsum versâ, & ad sternum perpendiculari. Veteres dicebant: neque cor *asini*, neque cor *porci* habebis, i. e. nec piger sis, aut sordidus. Etiam propè rimam *epiglottidis* materiam lacteam transudantem offendit *Jacobaus*, quam glandulæ ibi minores sitæ procul dubio effundebant. Quod à glandulis illis transudans materia, ubi acris nimiùm elaboratur, tussim caussetur in tracheam prolapsa, verisimile apparet. (h)

ventriculus §. 6. Unum duntaxat *ventriculum* habet, ùt equus. (i) Interiorem œsophagi tunicam laudatus *Jacobaus* ab exteriori quodammodo liberam vidit, ut quasi œsophagus duplex, alter alteri inclusus appareret. Et ubi protensus ad medium ventriculi œsophagus, fimbriis quibusdam firmiter adhærebat, figuræ elegantiâ intuentes oblectans, coloris quodammodo flavescentis, qualis in ingluvie avium spectatur. Fidem mihi nuper fecit dilectissimus *Schopfius* de *globulo* verè *crinito* & *rotundo*, in ventriculo *asinæ* reperto, magnitudine globuli fictilis, quô pueri nostri ludere solent. Similes historias recen-

globulus crinitus in eo.

sec

(g) Act. Hafnienf. med. Tom. V. obf. 101. (h) l. c. p. 272. (i) Arist. L. III. de part. anim. c. 14.

set *Blankard.* (k) Plusculas verò collectas dabit *Cornelius Stalpart van der VViele*, Amicus honorandus. (l) *Hi globi, ait, è minima pilorum congerie primùm provenientes, sensim vorticis in modum, circumvolutis magis magisq; accrescunt pilis, donec tandem in apice ita artificiosè conjungantur, ut vinci humana ars videatur atque industria. Hi autem rotundi sunt, manuumque pressioni non magis cedunt, quàm pila lusoria, interdum quoque intus ita duri sunt, ut ne cuneo quidem separari queant, unde satis liquet, interiores partes corticemque exteriorem eôdem modo se habere. Herum globorum causa est, quod vaccæ* (& asini) *scabrâ linguæ superficie prurientem cutem sæpe lingant, dentibusvè scalpant, sicque magnam pilorum quantitatem temporis processû deglutiant; qui cùm in ventriculis consumi nequeant, viscositate quâdam sensim concrescunt, atque in unam massam, tandemque in globum, initiò quidem exiguum, postea verò, accedente indies pilorum copiâ, majorem rediguntur.* De puero *crinivoro* idem *Blankardus* (m) Rusticus bestiæ suæ in triduano pabuli fastidio, diductis faucibus, crassiorem *tabaci* fumum insufflabat, unde vomitus salutaris. Sic ille, fumo *tabaci* in os pueri trimuli insufflato, caducum curabat. (n) Ego verò convulsiones & terribilem mortem abs eodem

ἀνογεξία

D 2

(k) Collect. med. Phys. C. I. obs. 22 & 97. & C. V. obs. 64. (l) observ. rarior. T. II. num. 20. p. 237. (m) C. VI. collect. cit. obs. 72. (n) River. C. II. obs. 60.

Intestina eodem notavi. *Intestina* aliquando vermium plena. *Hepar* nigricans & quasi plumbeo-
hepar grifeum, quale ab aliis etiam in equo inventum est. Nullus sub eo *folliculus bilis*, sed
folliculus bilis porus saltem bilarius. Nec in equo, cujus viscera pleraque cum animalis nostri ad amussim conveniunt, vesicula fellis ab aliis visa. Certè in equo regio, Hafniæ dissecto, frustra illam quæsivit dexterrimus Anatomicus D. *Simon Paulli*, licèt summâ diligentiâ ad rem penitus investigandam hepar in frustula plura discerpserit. *Blasium* tamen in anatome equi folliculum istum pugni magnitudine, ipsique substantiæ hepatis insculptum, reperisse narrat Junior *Caspar Bartholinus*. (o)

lien renes §. 7. *Lien* rubellus est figurâ glossopetræ. (p) Rariorem *renum* figuram notavit laudatus *Jacobæus*. (q) Alter scilicet cordi, uti vulgo à pictoribus adumbratur, alter retortæ
mictio chymicorum similis erat. Si alium *minxisse* videat *asinus*, etiam mingit, & super fimum. Odoris quippe acrimonia eum exstimulat irritatque. Hinc missis aliquando legatis ad Jovem, solutionem laborum petentibus, non potest id fieri, ait, nisi prius *mingendo* fluvium feceritis. Quid murmurent otiosi ad urinæ difficultatem *asininam*, vide sîs apud *Ulyssem*
urina *Aldrovandum*. (r) Est autem *urina asinarum* tenuior, quàm *asinorum*, mularum contrà crassi-

(o) Act. Hafn. l. c. (p) loc. jam cit. (q) l. c. (r) L. I. de quadrup. c. 2. p. 146.

crassior quàm marium. Cur verò *olfacto lotio* dentes denudat? ut vapores, ad olfactûs organum ascendentes, parumque sibi gratos excutiat. Quòd si quis in itinere excrementorum odor ad nares ejus perveniat, mox in cœlum sublato capite aërem captat, ut meliori deteriorem fuget. Abs albo iliorum colore λέπαργος dicitur. Habent verò pauci in Mysia recta ilia. (s) ilia

§. 8. *Penis* admodum magnus est. Divinus vates *Ezechiel* (t) extremam libidinem meretricantis Hierusalemi, & copiam sui facientis Ægyptiis, descripturus ait: carnem eorum esse instar *carnis asinorum*, & fluxum instar *fluxûs equorum*. Erstlich triebst du Hurerey mit den Kindern Egypti deinen Nachbarn/ die groß Fleisch hatten. Ihre Brunst war wie der Esel und Hengste Brunst. Ideo *asinus* etiam *Priapo* sacratus est. Specialiter hîc notantur *Ægyptii*, quod præ aliis gentibus hâc parte videbantur valuisse, propter optimam ejus regionis constitutionem, ab *Hippocrate* agnitam, (u) & à *Strabone*, (w) passim deprædicatam. Virilioles hujusmodi dicebantur *nasati*, (x) aut num rectiùs *vasati*? Apud Plautum (y) *vasa* testes denotant. *Quid agis? facio, quod manifestò mœchi haud ferme solent; quid id est? refero* vasa salva. penis nasati

D 3 Unde

(s) Cœl. L. XVIII. c. 23. (t) XVI. 26. XXIII. 20. (u) L. de aëre, aqua & loco text. 33. (w) L. XVI. (x) Cœl. Rhodig. L. XXVII. c. 27. (y) Pœn. a. IV. sc. 2. v. 41.

vasati Unde *vasati*, quibus hoc peculium magnum est & conditio strenua. At mulierculæ nostræ credunt, *nasum* longum crassumque similis *mutonis* indicem esse, quod tamen sæpicule fallit. Novi ego aliquos honestos & eruditos, etiam religiosos Viros, optimè *nasatos*, sed parciùs *vasatos*. Segniores quippe

historiola ad Venerem, & unus ferè impotens. Nobilis ac venusta puella duos simul habebat procos, alterum bonæ vitæ fortunæque hominem, sed macilentum, alterum quadratum, & *insigni naso* conspicuum, lurconem & fruges consumere natum. Illa, temto isto, hunc sibi elegit ob *peculium*, quod sperabat, grande. Sed spes delusit hiantem. Hinc domi jurgia, foris rixæ, & summa Viri aversatio, ob sterilitatem, quæ thorum perpetuò comitabatur. (z) De *asino hermaphrodito* vide *Zacchiam* (a) & *Reyes*. (b)

asinus hermaphroditus

Gens asinaria, *jugiter ebria, luxuriatur,*
vitaq; sobria, castaque gratia vituperatur,
quisque velut pecus, aut saliens equus scelus hinnit,
in Venerem salit, hanc fovet, hanc alit, hinc mala gignit.

ait Bernardus Morlanensis. (c)

Faustina Scribit Aurelius Victor de *Faustina*, Marci Anto-

(z) Vide fascic. I. obs. m. Medico Phys. num. 93. (a) quæst. med. legal. L. VII. tit. 1. qu. 8. p. 593. & quæst. 9. pag. 603. (b) camp. elys. jucund. quæst. XLVIII. num. 5. (c) L. II. de contemtu mundi v. 405. seqq.

Antonii Imperatoris uxore, portentosæ libidinis femina, quòd in Campania ad littora amœniora sedens, è nauticis elegerit flagitiis aptiores. Idque Lampridius narrat de *Heliogabalo*, monstro Imperiali, insigni *asinario*, uti libidinosi vocabantur, quòd membrum nimis prolixum haberent. Hujusmodi homines *Commodo* Imperatori grati erant. Ditasse enim legitur eos, & Herculis sacerdotio præfecisse. *Ariston*, nobilis juvenis Ephesinus, filius Demostrati, cum *asina* concubuit, exque ea formosam puellam suscepit, *Onosceliam* dictam, quòd cruribus esset *asininis*. Et *Muhammedes* cùm coitum à Saracena muliere impetrare haud posset, mox *asellam*, quâ vectus erat, ex indomitæ libidinis œstro compressisse dicitur. (d) De juvene ex *mula* nato vide *Tavernier*. (e) Terribile, modò verum sit, quod de pœna Sodomiæ refert *A. Robert*. (f) Nicht so gar weit von Tezrim in einer kleinen Wiesen/ alwo sehr treflich Graß wuchs/ sahe ich die vollkomene Statur eines Mannes/ der mit seinem Esel Sodomiterey trieb; er war so lebhafftig / daß / als ich noch etwas davon war/ ich nicht anders dachte/ als er sey noch beym Leben. Als ich aber näher hinzu kam / so sahe ich / daß er von lauter

Heliogabalus

Ariston

libido Muhammedis,

hist. stupenda

(d) Conf. Zeitkürtzender erbaulicher Lust P. I. them. 99. (e) L. V. Itin. Persic. p. 218. (f) in den seltzamen Begebenheiten Herrn T. S eines Englischen Kaufmanns/ so in Algier Sclave gewesen/ p. 97.

Steinen war. Ich fragte/warum die Mohren/ oder Araber/ welche doch sonsten alle Arthen von Bildhauern hassen/ ihre Kunst hätten erweisen wollen in Verfertigung solcher bestialischen Figuren. Ich ward aber berichtet / daß es von Menschen Händen nicht gemacht / sondern daß es ein rechter Mann in diese Figur verwandlet / der mit seinem Esel diß viehische Werck verrichtet / denn GOtt hätte beyder fleischliche Cörper in dergleichen Stein verwandelt. Ich suchte ferner nach in dieser Figur / und befand/ daß der Stein nicht allein die Gestalt vollkommen abbildete / sondern auch die Farbe an einem jeden Gliede des Menschen und des Thiers/ mit Zähnen / Adern / Augen / Maul und so fort / und solches in einer so lebhafften Art/ daß kein Künstler solches besser mit allen seinen Farben austrücken könte / so daß ich überzeugt war / daß es wahr seyn müste. Ich versuchte / ob ich es bewegen könte/ aber etliche warneten mich/und erzählten/ daß sich einige bemüht hätten dieses an einen andern Ort zu bringen / sie hätten es aber nicht zuthun vermocht. Und als sie es wieder unternommen / wären sie in grosse Gefahr kommen. Denn die Personen/ oder das Zug-Vieh / das sie zur Wegbringung brauchen wollen / erschlagen worden. *Muli* genitale feminarum non olfaciunt, sed excrementa. Cùm enim menstrua

his

his deficiant, omne, quod inutile est, cum excremento vesicæ expellitur. Petulantes pueros pabulantis ad sepimenta *asini* genitale aciculis non semel pungentes, varia excitasse symptomata tantùm non lethalia, idem *Schopfius* ex ore aliorum mihi narravit. Certè quanta pericula ex punctura aciculæ proveniant, D. *Simon Paulli* (g) rariori comprobat historiâ, causamque ejus genuinam reddit. (h)

genitale aciculis punctũ

§. 9. Gignuntur muli ex *equa* & *asino*, ex equo verò & *asina* hinni, (i) Etiam ex equo & *asina* vel ex equa & *onagro* mansuefacto nascuntur mulæ veloces, insigni pedum duritie, strigoso corpore, animo generoso, at indomito. Omnes reliquos antecellunt *muli*, ex onagro & *asina* geniti. Rectè igitur Columella triplicem *mulabus* assignat generationem, (1.) ex *equa* & *asino*. Hæ contumaces sunt, auriculis longioribus, non admodum speciosæ, natura gradariæ non sunt, sed tales fiunt arte. (2.) ex *asina* & *equo*. Hæ patri simillimæ, generosæ, tractabiles, forma insigni, auriculis, pectore & collo patris, cujus etiam hinnitum referunt. Sunt natura gradariæ, eaque matrem imitantur; ungula potius equina. (k) (3) ex *onagro & equa*. Equas ad mularum procreationem neque quadri-

mularũ genesis

(g) de febrib. malign. §. 32. (h) l. c. §. 39. (i) Arist. L. II. gen. anim. c. ult. Plin. L. VIII. c. 44. (k) Scalig. L. VI. hist. anim. §. 349.

mis minores, neque decennibus majores legunt; arcerique utrumque genus ab altero narrant, nisi in infantia ejus generis, quod ineant, lacte hausto. Quare surreptos pullos in tenebris equorum uberi *asinarum* equuleos admovent. (l) Hinnus, ἶννος, seu γίννος, secundum Plinium, (m) generatur ex muli & equæ coitu. Est autem γίννος ἡμίονος ἀνάπηρος, mulus, seu *semiasinus* oblæsus, quando scilicet conceptus in utero ægrotavit, habetque ἀναλογίαν quandam cum μεταχοίρῳ καὶ νάνῳ. (n) Quod verò in genere porcino μετάχοιρος, seu μετάχοιρον est, (o) hoc in humano νάνος, πυγμαῖος homulus, in equino equuleus, seu equulus, in mulino γίννος mulus parvus est. Qualis autem esse debeat *asinus* mularum generi proseminando destinandus, ex *Absyrto* ita docet *Aldrovandus*. (p) Sit habitu magno, quadratis membris, vasto capite, non equino: auribus non parvis, nec flaccidis, nec arrectis, cervice lata, nec brevi, lato, & musculorum toris denso pectore, & ad sustinendos equarum infestarum calcitratus robusto, grandibus scapulis, ac partibus, quæ humeris subjacent, aut supra genua sitæ sunt, crassis, valentibus, corpulentis, & quàm maximè distantibus: siquidem opus est, cùm supervenit, ut feminam facilè complecti queat; grandi dorso, spina

qui asinus esse debeat, mularũ generationi destinatus?

(l) Plin. l. c. (m) l. 2. (n) Arist. l. c. (o) Vid. Pollucis L. I. c. 12. & L. VI. c. 9. (p) l. c. p. 171.

spina lata, neque gibberi, neque cava, angustam lineam in rectum ferente, humeris non subsidentibus, sed eminutis: excelsa armorum compagine & æquabili, ita ut prominentiam litura distinctam habeat, eandemque latam, plenam, oblongam, nec in arctum strangulatam. Sit etiam pectore lato, costato, coxendicibus magnis & æqualibus, non substrictis clunibes, nec in acutum porrectis. Magis placent, qui cauda sunt breviore. Feminibus insuper esto compactis, brevibus & lacertosis, neque extrorsus aversis, ceterùm divaricatis, sic enim firmior erit: Tales etiam robustiores sunt, quàm σύμμηροι, seu illi, quibus femora pene committuntur. Esto præterea testibus magnis, paribus, genibus magnis & rotundis, tibiis & cruribus vescis, (i.e. non magnis) osseis fere & excarnibus, magisque nervosis, minimè varis, neque discolore læniarum cinctu verticillatis, calcibus (meso cynys) neque præter modum altis, neque nimiùm depressis, sed ut nixus talis ingrediatur: pedibus non introrsum contortis, nec humilibus, ungula crassa, subter concava, interiore sinu parvo, quem chelidona vocant. Porrò voce non retusa, sed clara rudat. Hoc enim quoque confert, ut sic deterreatur equa, & faciliùs morigeram admissario se præbeat. Equa autem, quæ *asinum* admittit, generosa sit, magni corporis, solidis ossibus & eximia forma. Plura hanc

in rem *Aldrovandus.* (q) *Asinus* equam superveniens ociùs eam implet, quàm equus, ob membri productionem longiorem, quâ ad intima uteri ejus penetrat. Si verò equus superveniat *asinam*, quam inierit *asinus*, non pervertet initum ejus, quod *asinus* tamen facit superveniendo equam, quam iniit equus, ob genituram *asini* frigidam. (r)

& inventor §. 10. Quis ergo *mularum* inventor? communissima opinio, *Anam* abnepotem Esavi, *asinos* pascentem cum equis, mulos invenisse præter naturam, ex admissura *asinorum* & equarum, seu equorum & asinarum. (s) oraculi responsum Crœso Delphis quærenti, nunquid diuturnum foret ejus imperium? Pythia dixit:

Regis apud Medos mulo *jam sede potito,*
Lyde, *fugam mollis scrupulosum corripe ad Hermum,*
neve mane: ignavus posito sis, Lyde, *pudore.*

Hoc ex vaticinio mirabilem Crœsus voluptatem percepit, sperans fore, ut nunquam apud Medos *mulus* pro Viro regnaret, & proinde nec ipse, nec posteri ejus principatum amitterent. Sed Apollinem *muli* nomine *Cyrum* intellexisse, explicat *Herodotus.* (t) Sicut enim equa est generosior *asino*, ita quoque *Mandane*, Cyri mater, nobilior erat *Cambyse* patre. Nabuchodonosarem etiam, servitutem Babyloniis prædicentem, Cyrum *mulum*

(q) l. c. (r) Arist. L. II. de gen. anim. c. ult. (s) Gen. 36. v. 24. (t) L. I. p. 20.

mulum appellasse, ex Alphæo *Eusebius* tradit. (u) Ipse enim Nabuchodonosor, sumto imperio, subito furore quasi incitatus exclamavit: *Futuram vobis, ô Babylonii, calamitatem prænuncio, quam nec Belus ipse, nec ulla vis Deorum avertet, veniet Persa* mulus, *qui vobis jugum servitutis imponet.* Ceterùm cùm *mula* pepererit, jam olim in proverbium abiit. Juvenalis prodigii instar habebat, si vir bonus & integer reperiretur. mulæ partus

Egregium sanctumq; Virum si cerno; bimembri hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro
piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ.

Mulas autem (quas Simonides Poëta vocat ἀιλλοπόδων θυγατέρες ἵππων, *velocium equorum natas,*) peperisse, ipse testatur Aristoteles (w) cum Plinio, (x) scribens: in Syria super Phœnicem *mulas* coire & *parere* omnes. Et eodem libro (y) memorat, *mulam* peperisse gemellos, sed habitum esse pro ostento. Quod etiam anno 1518. accidisse refert *Aldrovandus.* (z) Varro dicit, (a) tam in Syria quàm Africa parere. Idem asserit Columella (b) ex *Magone & Dionysio*, addens: etiam *mulos* gignere. Tradit *Scaliger*, (c) *mulam* sua ætate Romæ bis peperisse, rens, *mulam* communiter ideo non

(u) L. IX. de præparat. Evang. c. ult. (w) L. VI. tt. A. c. 24. (x) L. VIII. c. 24. (y) c. 22. (z) l. c. p. 175. (a) L. II. c. 1. (b) L. VII. c. 36. (c) comm. in L. VI. Hist. anim. §. 351.

causa sterilitatis mularum

non generare, quòd retinere nequeat, *mulum* verò generare, quòd in equam projiciat, quæ retinet. In urbe Albigensi etiam hoc seculo *mula* peperit. (d) Exceperat *Galba* avi sui omen, qui aruspicibus rerum summam puero spondentibus dixit: cùm *mula* pepererit; Aliam sterilitatis *mulorum* causam vide apud *Aristotelem* (e) & *Plutarchum*. (f) *Alcmæon*, infit, mulos mares *steriles esse scribit propter tenuitatem, i. e. seminis frigiditatem, feminas verò, quòd uteri earum occlusi sint, neque dehiscant: aut num ob uterum nimis exiguum, & obliquo situ ventri annatum, ita, ut semen non rectà injici queat, & si posset, non tamen retineretur*? Talem uteri figuram in mulis se vidisse gloriatur *Diocles*. Hinc Ægyptii mulierem sterilem notaturi, *mulam* pinxêre. De equa *mulam* prægnantem, at mortuam, pariente, in cujus utero alia mula jacuit, vide *Joann. Euseb. Nierenbergium*, (g) & *Antonium de Torquemada*. (h) De *mula* equum pariente, videatur *Aldrovandus*. (i) Siccine *mulus* monstrum est? Phædrus eum *dedecus naturæ* vocat, & *Sperling* (k) omninò pro monstro, Deo & naturæ abominabili, habet, citans istud Dei præceptum: (l) jumentum tuum non facias coire

mula in utero matris prægnans

mula equum parit

mulus monstrum

(d) Borell. C. III. obs. 90. (e) loco jam citat. Conf. Aldrov. l. c. pag. 172. (f) de placit. Philosophor. (g) L. VI. hist. nat. peregrin. c. 2. (h) Hexaëm. colloq. 6. pag. 591. Conf. Zeitkürtzende erbauliche Lust P. I. chem. 7. (i) l. a. p. 175. (k) Instit. Phys. L. I. c. 9. quæst. 10. (l) Lev. 19. v. 19.

re cum alterius generis animantibus. *Joannes Vulteus* de *mula*, cujus præcipitio *Burgus* interiit, sic : Burgi obitus

Vox steriles mulas *communis clamat, & ipsa*
si pariant, vulgus prodigium esse putat.
Hanc quis non credat mulam nimis esse feracem,
quæ peperit regno damna, necem Domino.
Non equus *hic nocuit tantum, quo diruta Troja est,*
quantum tu Gallis, mula caduca, *noces.*

Porro de *mulabus* gallicis ita Cl. *Claudianus*: mulæ gallicæ,

Aspice morigeras Rhodani torrentis alumnas,
imperio nexas, imperioq; vagas.
Dissona quàm varios flectant ad murmura cursus,
& certas adeant voce regente vias.
Quamvis quaque sibi nullis discurrat habenis,
& pateant duro libera colla jugo.
Ceu constructa tamen servit, patiensque laborum,
barbaricos docili concipit aure sonos.
Absentis longinqua valent præcepta magistri,
frenorumq; vices lingua virilis agit.
Hæc procul angustat sparsas, spargitque coactas,
hæc sistit rapidas: hæc properare facit.
Læva jubet: levo deducunt ordine currum,
mutavit strepitum: dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
exutæ laqueis, sub ditione tamen.

Con-

Consensuque pares, & fulvis pellibus hirtâ
esseda concordes multi sonora trahunt.
Miraris, si voce feras pacaverit Orpheus,
cùm pronas pecudes gallica verba *regant?*

mulæ radun- tur Stultus Alexander Macedo, auditâ *Phocionis* nece, rasit non solùm crines equorum & *mularum*, verùm etiam radi jussit apices murorum civitatis, ut viderentur unà lugere. (m)

Zebra De *Zebra*, mulis simillimo animali, vide *Thavenot.* (n) *Ludolf*, (o) & *P. Tachard*, (p) qui duo posteriores icona ejus dabunt.

§. II. *Asinæ* prægnantes continuò lactescunt; pullis earum, ubi pingue pabulum, biduo à partu maternum lac gustasse lethale

colostra- tio est. Genus mali vocatur *colostratio.* (q) Tempus gestandi fœtum idem ac equabus est; nimirum anni spatium. Rarò gemellos e-

partus, dunt. Parituræ tenebras petunt, ne ab homine conspiciantur. Gignunt totâ vitâ, & septimo à partu die marem rursus admittunt. (r) Fœtus suos tenerrimè amant, ut etiam per ignem ad eos properent, & si mori videant, omninò deficiant, quæ tamen indoles & *στοργὴ* Indicis non est. (s) Sexto mense arcent eos. Admittuntur ante solstitium æstivum. A coitu semen rejiciunt, ideò verberibus ad cursum

(m) vid. Anton. Hotomann. disc. de barba, (n) itin. orient. p. 329. (o) L. I. hist. æthiop. cap. 10. §. 37. seqq. (p) in Itin. Siamensi (q) Plin. L. XI. c. 41. Nonius L. II. de re cibaria c. 16. p. 213. (r) Plin. L. VIII. c. 43. (s) Gasp. Bartholin. de unicornu pagin. 130.

curſum irritantur. Non de nihilo eſt *Conſtantini Cæſaris* (t) experimentum, ut equus aliudve animal inſiliens tali amiciatur ſtragulo, quali fœtum volumus naſci colore tinctum Pullorum *aſinæ* [qui in V. T. ùt immunda animalia permutabantur ovibus,(u)] paſſim meminit Scriptura. (w) De *lacte aſinæ* agetur infrà. (x) Acutè Poëta in quendam : lac

Lac, Marcelle, diu potas patientis aſellæ,
impatiens *animal tu tamen usq; manes.*

Pecti jubet *aſinam* Helmontius (y) inſtar equorum. Adeoque ex *lactis* guſtu dignoſci poteſt, an *aſina* pexa fuerit iſto mane ſeu non? (z) Ceterùm lac *aſininum* ſeroſum admodum eſt, & parùm habet pinguis, ſeu terrei, ideoque optimè diſtribuitur & refrigerat magis, parùm verò tardiùsque nutrit. Habet autem ſimul vim abſtergendi & laxandi egregiam, unde in ulceribus externis abſtergendis magnus ejus ab omni ævo uſus fuit. Et hoc quidem habet ratione copioſi ſeri, quod abſtergit & laxat. Neſcio igitur, quid *Stephano Roderico à Caſtro* in mentem venerit, ut ſerum lactis vim ſuam purgandi à butyro habere aſſeruerit, cùm, ſi hoc ita ſit, *aſininum,*

E butyri

(t) L. XVI. Geopon. c. 20. (u) Exod. 13. v. 13. (w) Gen. 49. v. 11. Zach. 9. v. 9. Matth. 21. v. 2 5. 7. Luc. 19. v. 30. XXXIII. 35. Joh. 12. v. 15. (x) S. IV. cap. 2. (y) in init. Phyſ. inaudit. p. m. 179. B (z) Conf. Blankard. collect. med. phyſ. P. I. obſ. 9. pag. 12.

butyri inops, non ita abstergeret & purgaret; Proinde rectè sub nomine *Persii Trevi* eum refutavit doctissimus Medicus Romanus *Petrus Servius*. (a)

an asinus in area Noæ ruderit?

§. 12. Quærunt otiosi, *num in arca Noachi fuerit asinus, inque ea ruderit?* posterius vix credit *Taubmannus*. (b) Lepidè *Joannes Major* ita:

Bruta vetus Noë cùm clausa teneret in arca,
impius ultrici dum perit orbis aquâ.
Tunc vocat in catum solenni luce clientes,
& de virgineo semine verba facit.
Lapsa memor sortis signabat temporagallus;
unde locum in fani culmine gallus habet.
Grusque tuba specimen rostro præstabat adunco,
hinc Moses resono finxit ab ære tubas.
Cùm tamen omne genus denso subit atria catu,
est asinus *sacro jussus adesse loco,*
Adfuit, & tabulas cava contudit ungula textas,
sacra pedum strepitu verba sonante premens.
Arguit: & pilis erinaceus impulit hirtis,
inde canes hujus pellis ab æde fugat.
Dum modus omnis abest, dum voce silentia turbat,
& pede non sano robora texta ferit.

Tandem

(a) de sero lactis cap. 4. Vid. Exercit. Med. Meibom. de phthisis curat. per lac §. 18. (b) in culic. pag. 64.

Tandem Noha refert, si nulla molestia cordi est,
sit statio templi publica clausa tibi.
Et postquam in sicco mundum fortuna reponet,
stridula pistrini tecta colenda dabo.
Qua Ceres assiduo lapidum decurrit ab ictu,
& strepit impulsis unda sonora rotis.
Hinc primos asini *fœtus lex abdicat aris,*
tunsaque cervicis frangere membra jubet.
Namque asinos *sacra Deus arcet ab ade petulcos,*
impediunt strepitu qui pia vota suo.
Quis neget, hunc asinum *migrâsse in pectora Flacci,*
qui strepit & sacro limina calce ferit.
Ecce rudens asinus *Noha patientis ad aures*
dulce Evangelii jam labefactat opus.
Judice quo solo peccatum innotuit orbi,
qui veram in Christo nescit habere fidem.
Adde, quòd illius premeret si terga Redemtor,
alter quem Solymâ vexit asellus *humo.*
Hic tergo excussum pedibus violare pararet,
dum λόγον *è cœli trudere sede cupit.*
Morte dabis pœnas autor clamoris inepti,
cùm dat Noha preces, tu maledicta refers.
Cùm Domino cantat sacras Ecclesia laudes,
tu crepitus ventris, murmura fœda, moves.
Sis asinus, *quicunque* asini *clamore teneris,*
judicio vulgi ne capiare, cave.

§. 13. Inter *prodigia* & *monstra* est istud in insula — prodigia & monstra

insula Africæ *Madagascar* captum, Mönchs und Pabst Esel dictum, (c) & aliud in Tiberi deprênsum cum *capite asinino.* (d) Catalejæ *asinus tripes* natus est, & taurus cum quinque vaccis unô ictû fulminis exanimatus. (e) Alium *tripedem* & *quinquepedem* affert Aldrovandus. (f) *Cauda* minùs quàm equo setosa. Hinc adagium: *asini* cauda *non facit cribrum*, ubi quis ad hoc & istud negotium ineptus est. Cribrum enim ex pilis equinis fieri consuevit, non è villis *asinina cauda.* *Cutis* solidissima & durissima, ut vix fustem sentiat; nec curat eum famelicus, quod *Homerus* eleganter expressit. (g) De puella cum minuta *caudula asinina* nata. *Petrus Ringler*, Licentiatus, olim in Westfalia bene multa mihi dixit. (h) Quando acriùs colludunt, *serenitatem* præsagiunt. Die Esel rammeln gern/ es wird gut Wetter geben. (i) Ratio est bruti cum astris sympathia, quod influxum astrorum, & hinc futuram tempestatem, ex Naturæ quodam instinctu & commotione, in se sentit. (k) Eapse nocte, notante

asinus tripes

quinquepes

cauda

cutis,

puella caudata

asinus serenitatis nuncius

& ruditus ejus incendii,

(c) vid. M. Christoph. Græf. disp. de monstris habit. Lips. 1660. (d) D. Walter in postill. mystico-Phys. Dom. I. Advent. p. 19. & Phil Melanthon T. II. Jenens. D. Luteri. (e) Livius L. XLIII. c. 20. (f) l. c. p. 175. (g) iliad. Λ. (h) Vide nos de caudatis fusiùs P. I. Zeitkürzende erbauliche Lust them. 60. (i) Conf. Plin. L. XVIII. cap. 35. (k) Vid. Schwimmer. diss. VII. Phys. curiosit. §. 5 & Schmidii nostri Jenens. disp. de divinatione §. 9.

tante Avo meo materno, *M. Uranio*, quâ molà Mühlana incendio periit, insolitus ruditus *asinorum* fuit auditus. Plurium incendiorum vates fuisse bestias, diximus alibi. (l) Narravit mihi religiosus & eruditus familiæ Benedictinæ Abbas, *ciconias* in monasterio nidulantes pridie, antequam annô 1629. 27. Junii cœnobium exustum, frequentiùs ad ripam fluminis volasse, haustamque aquam ad parietes & tecta templi revomuisse, jam in area, mox in vertice Ecclesiæ multùm glomerantes. Nobilis Meklenburgicus arcis suæ cineres præscivit ex insolito & perpetuo fere *cygnorum*, quos in stagno alebat, murmure, stridore & mutua pugna. Qui tandem, cùm in flammis crepitaret ædificium, eas restinxisse visi sunt. Opulentus rusticus ex fuga *passerum hirundinumque*, qui nidulos in ædibus ejus struxerant, facilè infaustum omen colligere potuit. Triduo enim abhinc omne domicilium in cineres collapsum. *Felis* istô die, quô mercatoris cujusdam domus ab igne damnum aliquod passa est, quinque suos catulos in vicini ædes, è regione habitantis, deportavit. Pluscula hujus rei exempla dabimus aliô die. (m) Adde, quæ Gerbizius noster de *corvis* annotavit. (n)

incendia memorabilia

§. 14. Est animal Brasilianum, quod Indi

 Tapi-

(l) fascic. II. obs. m. num. 58. Dec. II. Ephem. curios. annex. ann. VI. (m) C. III. obs. m. Medico-Phys. 45. (n) Dec. II. Ephem. ann. IX. obs. 59.

Tapiroussam, Portugalli *Dantam* vocant, partim *asino*, partim bovi, secundùm *Lerium*, aliosque Brasiliæ descriptores, simile, ex coitu *asini* & vaccæ forsan progeneratum. Sanè in montibus Pedemontanis cervi & caballi ex vaccis sobolem procreant, quæ partim patrem, partim matrem refert. (o) Et si vera scripsit *Georg. Hornius*, (p) nimirum meridionalem Americam à populis Cananæis, à Josua & Israëlitis fugatis, inque Africam, & ex ea in Americam delatis, vastatam esse, facilè fieri potuit, ut etiam *asinos* secum eò deportârint, qui cum vaccis coëuntes tale monstrum procrearunt. Varii enim diversissimæ speciei animalium coitus noti. De cane lanii cum *suibus*, & de alio venatico cum *ovibus* passim coëunte, de vervece *vitulos*, de ariete *canem anglicanam* insiliente, de anate masculo à gallina excluso etiam *gallinas* comprimente, lepidas historias mihi retulit Dn. *Fridericus Güntherus Förster*, Bibliothecarius Ducalis Altenburgi, Amicus colendus.

varii coitus.

cur asinus se volutat in pulvere?

§. 15. *At cur asinus se volutat in pulvere?* bene *Athanasius Kircherus* (q) iquiens: miramur, cur *asinus* tantopere circumversatione in pulvurulento campo peracta gaudeat? cur *sus*

(o) vid. autor der Gelegenheit und heutigen Zustands des Hertzogthumbs Savoyen und Fürstenthumbs Piemont excus. Norinberg. 1690. in 4t. p. 4. (p) de orig. American. (q) in epist. ad Aug. Hauptmann. tr. de therm. Wolckenstein. annex. pag. 250.

sus adeò in lutulentissimis lacunis tripudiet, cur aves, quas inde *pulveratrices* vocant Physiologi, tanto studio sese obviis pulveribus obruant, & quasi vivas sepeliant? certè non alia de causa, quàm ad infestam iis vermium intra cutem stabulantium molestiam propulsandam. Dum enim humor ex calce, cæmento, lacunis fimosis, nitrosis, aluminosisque spiritibus refertis, cutis poros, in volutationis exercitio apertos, subintrat, mox etiam verminosæ fæturæ virulentiam extinguit consumitque. *Sanguis* ejus crassus & niger est. *Temperies* frigida & sicca. *Color* nostratium griseus: *pili* duriusculi, adque lanificium inepti. Hinc adagium: *ab* asino *lanam sc.* poscis, seu: asini *lanam quæris*; vel: asinum *tondes*. Sunt igitur *boni asini* notæ, ut sit amplissimi corporis, cervice valida, robustis latisque costis, pectore musculoso & vasto, feminibus lacertosis, cruribus compactis, & coloris splendidè nigri, qui non incanum ventrem habet, sed concolorem, cui pulla in ore macula, & lingua nigricans. sanguis, temperies, color, pili, boni asini notæ,

§. 16. Contentus est exiguo & qualicunq; *pabulo*, (r) herbâ, (s) cumprimis asplenio, (t) foliis, spinis, stramine, fasce sarmentorum, furfuribus, paleis, & carduis. Inde proverbium: asinus *in paleas*, scilicet incidit, ubi cuipiam lautior fortuna præter spem obtige- cibus

 rit;

(r) Columella L. VII. c. 1. (s) Job. 6. v. 5. (t) Mizald. C. XII. memor. 1159.

rit; & : *cardui* aſino *acetarii loco ſunt*. Quod cùm *M. Craſſus* vidiſſet, riſiſſe dicitur ἀγέλαςος, dicens: ſimiles habent labra lactucas. (u) Plures ἀγελάςυς ſiſtent *Plutarch.*, (w) *Joh. Baptiſta Porta* (x) & *Camerarius*. (y) Apud Siculos ſi extraordinarium aliquem laborem ſubierunt, aut ſubituri ſunt, præter paleas unum alterumve pugnum *hordei* accipiunt. Etiam *cortices pomorum aureorum* avidiſſimè vorantes vidit *Schottus*. (z) D. *Hieronymus* de Hilarione Abbate ait: *ego te*, aſelle, *faciam, ut non calcitres, nec te* hordeo *alam, ſed* paleis; *fame te conficiam & ſiti, gravi onerabo pondere, per æſtus agitabo & frigora, ut cibum potius, quàm laſciviam cogites*. *Tzetzes*, maximum urbis excidium vaticinaturus, dixit: vereri ſe, ne *aſinus* eam depaſcat, qui nimirum urticis, ſentibus, carduis veſcitur, quæ in ruderibus domorumque ruinis creſcunt. Non nemo in tenuiſſimam ſortem *Joachimi* Kärners / pauperrimi Parochi pagani, ita:

riſus M. Craſſi

Joach. Kärner /

Ein Eſel und ein Pfärner
die ſind / mein lieber Kärner /
zu einem Glück gebohrn.
Man läſt ſie wohl belaſten /
daneben wenig raſten /
ſonſt alles iſt verlohrn.

So

(u) Vid. Plin. L. VII. c. 29. & Cicer. Tuſcul. quæſt. L. III. p. 215. ac de Fin. L. V. pag. 163. (w) apophtegm. 187 (x) de hum. phyſiognom. L. II. c. 12. p. 181. (y) hor. ſubciſ. C. 98. cent. 3. (z) L. VIII. Phyſ. curioſ. c. 7. p. 797.

So lang sie schleppen können/
wird man zwar ihnen gönnen/
Spreu/Disteln/leeres Stroh.
Allein in ihrem Alter
ist nichts mehr im Behalter/
Drum sind sie nimmer froh.
Doch muß man es ertragen/
nach allem wenig fragen/
und Esels-Arbeit thun.
Darum/mein lieber Kärner/
sey Esel und auch Pfärner/
Biß GOtt dich heisset ruhn.

Ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ, i.e. asinus *esuriens haud curat baculum.*

Vt cùm per segetes ignavus transit asellus
invitis pueris, cùi multus tergore circùm
jam crepuit fustis, neque segniùs ille profundum
ingreditur segetem: pueri sed fustibus illum
cædentes studio, tandem ac puerilibus arvo
viribus ejiciunt, ubi pastum expleverit alvum.

Vescitur etiam *ficubus*. Quod aliquando videns *Chrysippus*, à risu extinctus est, referente *Laërtio*. Sed *Valer. Maximus* (a) de *Philemone* id commmemorat. Paratas scilicet ei *ficus*, atque in conspectu positas *asello* consumente, puerum, ut illum abigeret, inclamavit. Qui cùm jam comestis omnibus supervenisset, *quoniam*, inquit, *tam tardus fuisti, da nunc merum asello*. Ac protinus urbanita- **ex risu mors**

E 5 tem

(a) L. IX. c. 12. ext. num. 6.

tem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægravavit. Haud semel vidi *asinum*, instante, plenilunio, in ripa Visurgis *arenam*, madidam adhuc, cupidè vorantem, eamque cum excrementis suo tempore & loco, notantibus domesticis, rejicientem. Extra hoc tempus nec madidam siccamvé cupiebat. De puella *arenivora* vide *Bartholinum* (b) & Curiosos nostros. (c) In Regia & Equestri Academia *Sorana* Pharmacopœus ordinarius *Burserius* annô 1664. cicurem alebat *picam* femellam, quæ non tantùm araneis, minutis pisciculis, quos fundulos dicimus, caseo, sed etiam majusculis aliquando lapillis, friabilibus tamen, imò cicutæ semine, citra noxam cupidè vescebatur. Vorato tandem foliolo (quod *Burserus* viderat,) *asari*, faustè purgabatur, inordinato isto appetitû ad duos ferè menses cessante. Queîs verò elapsis, rediit. Confer, quæ de pica canum porcorumque in *Actis Anglicis* consignata sunt. (d) Idem *asinus* post mictionem plerunque simul alvum dejiciebat. Ventrem haud posse solvi, nisi insimul vesicæ libertas accedat, ex *Olearii* historia Persica, ab Excell. *Langio* (e) allata, fusiùs videre est. At urinam sine alvi dejectione vix, seu non emisisse, singulare quid. Vide

Asinus arenivorus

Picapicæ

mictio non fine secessu.

(b) C. I. hist. 44. (c) Dec. I. Eph. ann. I. obs. 83. cum schol. (d) Volum. I. pag. 742. (e) Miscell. med. curios. num. 6.

Vide tamen *observationes nostras* (f) & *Salmutum.* (g) Incertus Autor ait:

Illustri mavult asinus, *quàm taurus egeno,*
si fatum jubeat, quilibet esse loco.
Ille etenim pondus si non portaverit aptè,
irati Domini verbera sola gerit.
Insuper ast pecori, crebris sub paupere plagis,
tergora quando tument, est toleranda fames.

Mendacium est, quod scurra iste de atro Westfalorum pane, vulgò *Pompernickel* dicto, blatit, à cujus esu *asinus* peremtus fingitur. Inde versus: Pomper nickel

Si cupias peregrinari, loca Westfala *transi,*
ex esu panis *nuper* asellus *obit.*
Panis? *ita est*: *hem! siccine strangulat iste comestus?*
ô sapias: Pomper-nickeliumque *fuge!*

Salsissimè de hoc panè *Justus Lipsius* (h) ad *Joannem Heurnium* ita: *Revera, mi Heurni, si* colorem, *si* pondus, *si* totam faciem *vidisses, juro tibi, pejerâsses de pane.* Ater *ille*, gravis, acidus & *formatus in massam*, quaternos *aut* quinos pedes *longam, quam ego nec elevâssem.* Ne quid nimis *Lipsi.* Vide, quid reponant *Joannes Domannus* Osnabrugensis (i) & *Winckelmannus.* (k) Etiam in Dania hujusmodi atro

(f) C. I. n. 84. (g) C. II. obs. 30. (h) C. II. epist. 15. (i) in apologet. pro Westfal. inter opuscul. var. Joann. Goës. Helmst. 1668. p. m. 121. seq. (k) L. I. notit. hist. polit. veter. Saxo-Westfal. c. 6. p. 121. seq.

atro pane vescuntur plebeji & nobiles, quo de verissimè *Thomas Bartholinus*: (l) Optimus ille, (panis) qui ex secali pinsitur, cum *furfuribus* & *fermento*, quòd is *& bene nutriat*, *& facilè per alvum superflua eliminet.* Ceterùm potuisset equidem ex frustulo panis *asinus* suffocari, uti adolescens iste Hafniæ à frustulo *lingua bubula.* (m) Quod cùm in patina residuum clam & festinanter ori injecisset, statim vox sublata & respiratio, nec caro deglutita ullo conatû aut vi potuit elici. Quod frustulum pondere unius unciæ cum dimidia, cadavere aperto, repertum postea est inter epiglottida & laryngis rimulam, quam totam obturârat tam arctè, ut vix manu eximi potuerit.

potus, §. 17. Si *bibentem* consideres *asinum*, nullam dices virginem, quamvis elegantem, posse modestiùs bibere. Neque linguam exerit, ùt canes, neque caput ferè totum in aquam demergit, ùt equi optimi faciunt: neque collum in altum rejicit, ùt aves, sed summis tantùm labris bibit, ac si nimis pura sit aqua, respuit. Verùm non semper parcè bibit ob aurium umbram in unda visam, sed audacter aliquando. Mihi olim *Eresbergam* in Westfalia profecturo occurrit rusticus cum tribus *asinis*, qui mox ad lævam, jam ad dextram titubantes, mox super proprios pedes lapsi,

asini temulenti

(l) de Medicin. Danor. domest. diss. 6. p. 303. (m) Bartholin. C. I. obs. 11.

lapsi, modò quasi nescirent, quò vaderent, subsistentes, miras temulentorum gesticulationes non sine cachinno æmulabantur. Indaganti causam monstrat *hyoscyamum* & *solanum* cum floribus suis, clamans: ecce, hinc ista comœdia. Pluriesne fit? ita. Quâ arte igitur discutis auritis sociis crapulam? si ad *Dimolam* venero, videbis. Quamprimùm se balneârint, gressus suos firmiùs figent. Et sic etiam erat. Audacter enim descendentes ad ventrem usque pleno ore bibebant, & egressi statim modestiùs ambulare cœperunt. Sic homines solâ aquâ frigidâ subitò pepulisse ebrietatem, binis exemplis probat *Amphion* noster. (n) De *asino* ex musto ebrio vide nos alibi. (o) De urso ex cerevisia, (p) & de aliis bestiis alii. (q) Aliquot abhinc annis vitulantes scholastici Altenburgi in Misnia *asinum* in cauponam publicam vesperi ducebant, potantes cum eodem in fraternitatem. Tandem, *aure* abscissa, socium & confratrem dimittunt. Quoties molitori postea scholares occurrebant, eja, clamabat hic, reddite fratri vestro *aurem*. Quî verò *Dipsas* serpens ab *asino* remedium contra senectam sitimq; tulerit, ita narrat *Ælianus*. (r) Promethei ignem à Vulcano furatum ajunt, ideò indi- gna-

hist. ridicula

asini remedium contra senectã & sitim

(n) Dec. I. Ephem. ann. II. obs. 217. (o) P. I. Zeitkürtzende Lust them 46. (p) Olear. Itin. Persic. p. 120. edit. Slesvic. (q) vid. Sachs. Ampelograph. L. II. S. VI. membr. 2. c. 3. pag. 243. (r) L. VI. cap. 51.

gnatum Jovem furti indicibus dedisse remedium senectuti prohibendæ efficax. Hoc illos, qui acceperant, *asino* imposuisse audio. Et cùm ille sic oneratus æstivo tempore incederet, siti laborantem ferunt ad fontem venisse bibendi gratiâ, sed à serpente, fontis custode, repulsum. Itaque *asinum* sitis impatientem, id, quod gestabat, pharmacum, ut admitteretur, obtulisse. Bibit ergo *asinus*, & unà cum remedio adversus senectam, quam *Dipsas* deinde exuit, sitim quoque suam in illam transfudit.

temulentia à cicuta

§. 18. Molitor olim in Thuringia cum novem *asinis* in proximos pagos detulerat farinam. Ibi à sociis suis ad pocula invitatus lubens comparuit, sivitque auritum interea gregem extra pagum ad sepes & publicas vias pabulari. Qui reperiens carduos cæsos, aliudque pabulum *cicutâ* commistum securè vorat ad satietatem. Sub crepusculum molitor abitum simulans, facilè à suis detinetur clamantibus: brevem esse viam, & faculam ei præferre Cynthiam. *Asini* interea vim *cicutæ* in corpore sentientes omnes in campo viisque publicis passim concidunt, omni motû sensuque privati. Tandem molitor circa noctis meridiem ad suos remeaturus, *asinos*, ùt dixi, reperit. Quos cùm dormire putaret, insigniter flagellavit, at mortuos. Vocantur in auxilium rustici. Una omnium vox: *asinos* esse defunctos, & altero die excoriandos.

Tunc

Tunc demum indagari posse causam repentinæ hujus mortis. Agè, dicebat ille, si mortui, quid cædam eos? jaceant, quiescant, valeant! Venite, ô mei, remeabimus in cauponam, cras mihi eritis testes. Vocantur interim excoriatores, quorum unus: vin' ergò, molitor, ut detrahamus corium, aut num singulos redimere placet *duobus nummis capitalibus*? in nostra enim potestate sunt. Dic, quod velis, & factum crede. Ille cum stupore & gemitu: en dextra fidesque! dabo, quod vis, si revocaveris mihi in vitam. Subridens nequam, arrepto flagello, omnes è veterno (maxima ex parte nunc discusso) excitat. Stupuêre coloni. O lævæ mentes, ajebat, hæc herba, cicutam monstrans, in vicina hac luxurians, somni *asinini* effectrix. Rustici sub tilia, more pagano, confluentes legem condidêre, ut quilibet Paterfamilias in horto & agro, seu ubicunq; noxiam istam plantam offenderet, ociùs evelleret, ne quid detrimenti amplius abs ea caperent homines, seu bestiæ. (s) De noxa *cicutæ* vide alios. (t) Rarius igitur exemplum, quòd vetula ista ad

(s) Adde Petr. Andr. Matthiol. herbar. à D. Joach. Camerario auct. edit. Francof. ad Moen. MDC. p. 384. (t) D. Sim. Paulli de febrib. malign. §. 82. seqq. Kircher. de peste S. II. cap. 2. p. m. 263. D. Helwig. observ. 42. cum schol. Schröckiano, D. Harder. in Decur. II. Ephem. curios. ann. III. observ. 115. D. Wepfer. ead. Decur. ann. VI. obs. 116. &c.

ad pellendas vigilias *cicutâ* frequentiùs & feliciter usa sit. (u) Repetiit hasce historiolas *D. Sturmius*, Mathes. & Phys. Prof. in illustri Altdorfina dexterrimus. (w) Falsum igitur, quicquid de fuga metuve aquæ vulgò garriunt, cùm haud majori renitentia eam intrent transeantque *asini*, quàm equi. Apud Afros pastorales esse dicuntur, qui *nunquam* bibunt.

Luna ab asino epota

Rariùs credo, *nunquam* verò vix. Credidit plebecula *Augustini* tempore, *Lunam* ab *asino* epotam esse, cùm bestia hæc è fluvio bibens ad objectam nubem subitò se condidisset. Misellus ergò *asinus* in carcerem conjectus dissectusque, ut Lunam mundo redderet; (x) cui fabellæ similis est illa de *asino* Abrahami apud *Dietericum*. (y)

stercus

Quî ex *stercore* ejus omnis generis insecta nascantur, diximus alio die. (z)

cerevisia Poëtarũ asinus,

De cerevisia, Poëtarum asino, lepidè *Fridericus Hofmannus*, Gymnasii Elbingensis Con-Rector, ad abstemium: (a)

Non bibis infusum vitro spumante Lyæum,
hinc neq; Pierio metra nitore paris.
Non conscendis equos: asinum *tibi scandere*
mos est;
vina fugis, Cereris labra liquore rigas.

Sic

(u) Nic. Fontan. L. I. respons. & curat. medicin. pag. 161. (w) in calendario suo ad ann. 1690. (x) Ludov. Vives in L. X. Augustin. de C. D. cap. 16. (y) Vol. I. Antiquit. Bibl. p. 427. (z) P. I. Zeit-kürtzende Lust them. 109. pag. 268. (a) C. I. epigr. 3.

Sic neque, cùm Vatum fugias equitare caballo,
quod facit ingenio sæpe Poëta, facis.

At responsum abstemii hoc:

Non equidem pateris spumantibus haurio Bacchum,
sola levat Cereris vis mihi cocta sitim.
Carmina pango tamen doctis laudata Poëtis,
nec sine Castalio metra lepore fluunt.
Scando asinos *tantùm, vatum non scando* caballos,
conficit ast asinus, *sed pede lentus, iter.*

§. 19. In calidis regionibus frequentiores sunt quàm frigidis. De Scythia, *asinis*, carente, vide D. *Sagittarium*. (b) Cum *stygia aqua*, ob summam frigiditatem, videtur eis esse ἀνλιπάθεια. Solius enim animalis hujus ungula nullam abs ea patitur noxam, si scriptoribus credas. Odium ei cum *Ægitho*, qui est avis minima, (c) cum *spino*, etiam volucri: & cum illo quidem, quòd spineris sese atterens, scabendi causa, nidum illius dissipet: cum hoc, quòd flores spinarum, in quibus ille degit, devoret: etiam cum *rhododaphne*, cum *lupis*, & *muribus majoribus domesticis*. Feminam novi aliàs boni habitûs, quæ, quamprimùm odorem ex *asino* percipit, subitò dolores uterinos sentit, dicens: se fœtorem ejus non

Patria

ἀνλιπάθεια

observatio

F

(b) differt. in Justin. L. II. c. 1. p. 19. (c) Plin. L. X. c. 74. Aldrov. L. I. de quadrup. c. 2. p. 146. Mizald. C. IV, memorabil. 333.

non posse perferre. Uterus quomodo percipiat odores, dextrè exponit *J. Daniel Horstius*. (d) Ex auditu *ruditûs asinini*. *Ludovicus de Gethlede* gingivas semper habebat sanguinolentas. (e) Sic quando Illustris *Boyleus* cultros acuebat, famulo suo cruentabantur gingivæ, atque sanguis inde profluebat. (f) Peculiare olim dominium, seu Baronatum, fuisse *Gethlede*, retur Cl. *Hamelmannus*. Mentio enim fit Nobilis Domini *Everhardi de Gethlede* anno 1218. Sub Præfectura Wolfenbyttelensi propè monasterium Stederburgicum pagus *Gethlede* est, qui forsan paruit istis Dynastis. Συμπάθεια contra cum *scorpio* & *vitis palmite*. Ajunt, si percussus à *scorpio* super *asino* rectus desideat ad caudam, pro ipso dolorem sentire *asinum*, cujus rei signum addit *Merula*, quòd pedendo moriatur. Etsi is, quem pupugit *scorpio*, in aurem dicat *asino*, *scorpio me pupugit*, non amplius eum dolere, dolore in *asinum* transplantato. Sed credat Judæus Apella. Rarò in morbos incidit, non tamen prorsùs ab iis exemtus. Vitium ejus, quod μήλιδα vocant, in capite oritur, facitque, ut phlegma multum, idque russum per nares copiosiùs depluat. Vidit *Antonius Senckeler* aliquem ex nimio *raparum* esu ægerrimè decumbentem, ob crassos abs iis

alia

Gethlede

συμπάθεια

morbi

observ.

(d) manuduct. ad Medicin. P. I. c. 1. Sect. 4. p. 69.
(e) Meinh à Lüchtringen in compend. rer. mirabil.
(f) Th. Barthol. C. IV. epist. 92. p. 523.

iis productos flatus in intestinis, ventriculo, aliisque corporis cavitatibus, qui distensione & expansione suâ acutissimos faciebant dolores. Similem historiam habes apud *C. Stalpart van der VViel*, (g) Quod si phlegma istud (quo de nunc diximus,) descendat ad pulmonem, moritur animal; sed si in capite sit, non affert interitum. (h) Si alium *asinum* morientem videat, subitò deficit. *Bulimus* eum subinde vexat, maximè si caricas aut mala portet. Intelligit verò *Plutarchus* (i) per *bulimum* exanimationem. At cur ei obnoxii fiunt *ficus* & *poma* diu portantes? spiritu scilicet istorum fructuum, quem plurimum exhalant, in poros se sufferciente. Sic *muli* croco onusti sopore oppressi cadunt. (k) Ita nos notavimus *δυςοκίαν* à pomis. (l)


bulimus

exanimatio

§. 20. *Pediculi* ejus terribiles sunt, ore acuto & piloso longoque, sex pedibus ejusdem figuræ armati, quos chelarum instar dilatant & contrahunt pro lubitu. In capite duo prælonga & acuta cornua, uti ex subjecta delineatione lector curiosus penitiùs singula videre potest.

pediculi

(g) rariot. observ. tent. post. part. prior. num. 23. (h) Arist. L. VIII. H. A. cap. 25. (i) L. VI. quæst. 8. (k) Vide tamen D. Paulli Botan. quadrip. Cl. II. p. 127 & P. I. Zeitkürtzende erbauliche Lust. them. 194. (l) Decad. I. obs. m. Medico-Phys. num. 4. Decur. II. Eph. curios. ann. VII. annex.



Cur ergo Ariſtoteles (m) eum à *pediculis*, ſeu *ricinis*, omninò immunem dicit? Vita ad triginta annos & ultrà extenditur. (n) Et femina mare vivacior eſt. (o) Sed *Scaliger* hoc de *aſinis* admiſſariis intelligit, & qui quotidiano oneri ferendo mancipati ſunt, & de feminis, quæ tantùm proli ferendæ deſtinantur. Ex otioſi cujusdam cerebello manavit iſtud germanicum:

vita

Ein Zaun währt 3. Jahr/	3.
Ein Hund überwährt 3. Zäune/	9.
Ein Pferd 3. Hunde/	27.
Ein Mensch 3. Pferde/	81.
Ein Esel überlebt 3. Menschen/	243.
Eine wilde Ganß überlebt 3. Esel. (p)	729.

Sene-

(m) L. V. H. A. c. 30. (n) Vid. Mizald. C. II. memorab arcan. 157 (o) Ariſt. L. VI H. A. c. 23. (p) vid. D. Frommann. anſer. Martinian. membr. 2. lit. K.

Senectus colligitur ex dentium brochitate, superciliorum canitie, & circa ea lacunis; ὄνε θανάτες, *asini* mortes scilicet narrat, si quis absurda dictuque ridicula recenset, cujusmodi fuerit, siquis longa narratione persequatur *asini* pericula. Tam pulcri in Persi-de sunt, ut unus XXX. auri ponderibus vendatur, imò pro quadringentis hominibus singuli venditi fuêre. (q) *Q. Axius* Senator emit *asinum* quadringentis nummis, dicente *M. Varrone.* (r) De *agasonibus* Persicis legi meretur *Olearius.* (s)

senectus

asini cari,

§. 21. Quid autem *sepultura asinina*, seu insepulta? ùt Cicero ait. (t) De Jehojakimo dicitur: (u) sepelietur *sepulturâ asini*, trahendo & projiciendo ultra portas Jerusalem. Contraria sunt sepeliri, & tamen projici insepultum. Notes autem velim, frustrationem spei Regis Jehojakimi de obtinenda regia sepultura & exequiis, quæ hisce innuitur. Impletum hoc à Nebucadnezare, (w) qui Jehojakimum catenis vinctum Babylonem duxit, mutatô autem consiliô postea necuit, & inhumatum extra muros projici jussit. (x) Er soll wie ein Esel begraben werden / zuschleifft/

sepultura asinina

F 3

(q) Jonston. Thaumaturg. nat. Cl. VII. cap. 2. p. 291. Aldrov. L. I. de quadrup. cap. 2. pag. 140.
(r) Conf. Plin. L. VIII. cap. 43. & S. I. capite 2.
(s) L. IV. Itin. Persic. c. 8. Adde Tavernier. Itin. Persic. L. IV. cap 3. (t) in Philipp. 1. (u) Jer. 22. v. 19. (w) 1. Paralip. 36. v. 6. (x) Joseph. L. X. A. J. c. 8.

schleifft/und hinausgeworffen für die Thore Jerusalem.

de asini umbra rixari.

§. 22. Unde verò adagium: *de asini umbra rixari*, i. e. de re parvi & nullius momenti? fabulam vide apud *Aristophanem* (y) & *Plutarchum*, (z) ejusque meminit *Apulejus*. (a) Demosthenes enim cùm judices parùm haberet attentos, ut eos tales redderet, narravit fabulam. Quidam conduxerat *asinum*, quô Athenis Megaram veheretur. In itinere, ardente sole meridiano, non habens aliud umbraculum, depositis clitellis, sub *asino* sedens ejus *umbrâ* semet obtegebat. Agaso autem id non sinebat, hominem inde depellens clamansque: *asinum* esse locatum, non *asini umbram*. Alter item ex adverso tendebat, asseverans etiam *asini umbram* conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad jus & tribunal. Hæc locutus *Demosthenes* repente descendit & discessit. Revocatus à judicibus, ut reliquum fabulæ enarraret, ait: itané de *asini umbra* libet audire, Viri verò de vita periclitantis casum audire gravamini? Litigarunt in Misnia duo Advocati ideò, quòd alter alterum *aureum Apuleji asinum redivivum* vocarat, cùm ex Academia Lipsiensi domum reversus vestem aurô argentôque distinctam iste haberet, quod ægrè tulit alter. Pastor quidam ex simplicitate Nobili suo

litigium Advocatorum

votum Pastorale

opra-

(y) in Vespis (z) in vita Demosthenis (a) de aureo asino,

optarat sponsam, cujus omnes virtutes sub voce *asinæ* comprêndens dixit: Ich wünsche Euer Gestreng nur eine Eselin. Scilicet eine
Erbare/
Schöne/
Ehrliche/
Leutseelige/
Iunge/
Nützliche.
Nobilis autem parochum ab officio remoturus, multas ei faciebat molestias. Litem intendebat Advocatus Consuli, quòd hic ex illius nomine *asinum*, ejusque ruditum, exsculpserat. Plerunque advocatus nomen & officium suum ita scribebat: facetiæ
Ernestus
Samuel
Elias
Licentiatus
Iuris,
Advocatus
Iudicii
Aulici.
Consul verò legebat ex literis initialibus ESEL, IA! IA! Sic ex literis initialibus amici & contubernalis mei in Academia Oxoniensi, *Ottonis Nicolai Otters*, Silesii, alii faciebant græcam vocem ONOS.

§. 23. Ceterùm neminem unquam placuisse singulis, agaso iste demonstrat, elegantissimè agaso metricè descriptus,

tissimè descriptus à *Friderico Widebramo*, olim Rectore Scholæ Isnacensis, postea Professore Jenensi, Wittebergensi, & Heydelbergensi, & Sacræ Theologiæ Doctore, cujus laudes alibi diximus: (b)

Mercatum pariter tendentes, inter eundum
ducebant *asinum* filius atque Pater.
Obvia quos pedites deridens turba, quid itis,
ô fatui, vacuus cùm sit *asellus*? ait.
Annuit, atque jubens *asinum* conscendere natum,
ipse pater pedibus ponè capessit iter.
Altera turba sequens: quanta indulgentia Patris?
quæ nati impietas molitiesque? refert.
Fili, cede seni, defesso cede parenti:
ire decet juvenes, est equitare senum.
Mox Pater ascendens *asinum*, descendere natum
rursus, &c, ùt populus jusserat, ire sinit.
Vix bene progressos jam tertius ordo, tenellis
parcendum pueri cruribus esse, monet.
Et nimis in sobolem rigidum putat esse parentem,
cùm gestare simul *mulus* utrumque queat.
Tum simul incumbunt *asino* natusque paterque,
omnibus & factum jam satis esse putant.

Sed

(b) in annalibus Isenacensib. §. 95.

Sed jam quarta sequens, at iniquior omnibus illis,
turba, vide causam criminis unde petat.
Illa miserta *asini*, clamat, miserumne furentes
suppressum penitus vultis utrumq; *pecus*?
Sicné forum petitis? pretium decedet *asello*;
si quis erit vobis emtor, iniquus erit.
Tùm pater incertus, quid agendum, nate, vel uni
ut modò censori sat faciamus? ait.
Restat, ut hinc *asinum* gestemus, filius inquit;
forsitán hoc saltem qui probet, unus erit.
Dixit: *quadrupedemque* ligant humerisque receptum
jam portant *asinum* filius atque pater.
Ut malè sudantes sub iniquo pondere cernit;
obvia quæ fessis proxima turba fuit.
Tùm verò exclamat: quæ vos dementia cepit?
cur *asinum* geritis vos *bipedes asini*?
Tum Pater impatiens, quid agamus denique, fili,
judiciis hominum quò placeamus, ait.
Duximus, alternis equitavimus, ivimus, ambo
gessimus: at populus, quod reprehendat, habet.
Quid moror? impatiensque *asinum* deturbat in undas,
causaque culpandi siccine cessat? ait.

Sed

Sed nova continuò caufatus nomina culpæ;
hîc quoque, quæ carpat, plurima Momus habet.
Carnificem vocitans crudelem infontis *aſelli*,
perdere qui demens feque fuosque velit.
Invidiæ plenum, qui non donârit amicis,
quod fine fpe lucri perdere maluerit.
Injuftum, cujus Refpublica nomine damnum,
quàm multos *aſinos*, pergit habere ferat.
Qui non *jumento* folidam detraxerit antè,
putrida quàm fieret pifcibus efca, cutem.
Accufant alii, quòd tot ludibria paffus,
non in aquas dederit fe quoque præcipitem.
Quisquis in officio es: mifer atque afflictus *agaſo* es;
agmina cenforum qui nova femper habes.
Hic culpaverit hoc, alius culpaverit illud;
peccas, feu ducas, five geras *aſinum*.
Ne tamen impatiens cedas à tramite recti,
conatus cunctis velle placere, cave.
Nemo unquam placuit; nemo placet omnibus unquam:
nemo fatisfecit, nemo fatisfaciet.
Si te vana premit cenforum turba; nec ullâ
judiciis hominum parte placere potes,
Ipfe placere tibi ftudeas bene confcius, & cùm
difpliceas mundo, difce placere Deo.
Confcia propofiti recti mens optima teftis,
omne Deo fuperat judice læta malum.

§. 24. Ce-

§. 24. Ceterùm vix me contineo, quin *Henrici Cornelii Agrippæ*, Nettesheimeinsis, (Viri, judicio Jovii, (b) *qui immenso captû, vastaque memoriâ scientiarum artiumque omnium rationes, arcanaque intima, & summos apices complexus, disciplinas convellit, religiones in dubium revocavit, studiorumque omnium labores festivâ declamatione derisit,*) encomium *asini* (c) hîc subnectam.

encomium asini Agrippæ

Ne quis me calumnietur, quòd *Apostolos* vocarim *asinos*, ipsius *asini mysteria* paululùm quidem, sed non extra propositum digredientis paucis explicabimus. „Hunc enim Hebræorum Doctores *fortitudinis* ac *roboris* „gloriâ excelli, *patientiaque* & *clementiæ* „symbolum esse exponunt, ejusque influxum „à *Sephiroth*, quod *hochma* h.e. *sapientia* „dicitur, dependere. Ejus namque conditiones „*sapientiæ* discipulo necessariæ maximè sunt. „Vivit enim *exiguo pabulo*, eoque qualicunque „contentus, tolerantissimus *penuriæ, famis, laboris, plagarum, negligentiæ, omnisque persecutionis* „patientissimus, *simplicissimi ac pauperrimi spiritus*, ut ne interlactucas & carduos „discernere sciat; *corde innocenti ac mundo*, & „bile carens, cum omnibus animantibus „pacem habens, omnibusque oneribus „patienter dorsum supponens. In quorum „remunerationem caret *pediculis*, rarò morbis affici-

F 6 tur,

(b) in elogiis, (c) lib. de vanitate scientiar. c.102. in oper. impress. Lugdun. in octav.

" tur, tardiusque quàm ullum armentum de-
" ficit. *Plurima*, inquit Columella, asini, *&*
" *necessaria opera supra portionem respondent*,
" *cùm & facilem terram aratro proscindat, & non*
" *minima pondere vehicula trahat. Jam verò mo-*
" *larum & conficiendi frumenti pene solennis est*
" *hujus pecoris labor: omne rus tàm necessarium*
" *instrumentum desiderat* asellum; *qui pleraque*
" *utensilia & vehere in urbem, & reportare collo*
vel dorso commodè potest. In augurio etiam
" quàm salutaris nuncius sit *asinus*, testatur
" Valerius de C. *Mario*, qui olim Austri & Aqui-
lonis domitor, tandem patriæ hostis decla-
" ratus, & à Sylla persecutus, consultore ac
" duce *asino*, Syllæ minas evasit, *asinum* auto-
" rem fugæ & salutis habuit. (d) Jamque eti-
iam in veteri lege sic *asinum* Deus ipse hono-
" ravit, ut cùm juberet omne primogenitum
" occidi in sacrificium, solis *asinis* cum homi-
nibus pepercit, videlicet permittens homi-
" nem pretio redimi, & pro *asino* ovem com-
" mutari. Hunc, quæ constans fama est, Chri-
stus suæ nativitatis testem esse voluit, in hoc
" à manibus Herodis salvari voluit; atque ipse
" *asinus* contactû etiam corporis Christi conse-
" cratus est, *crucisque* signaculo insignitus.
Nam Christus ipse pro redemtione humani
" generis triumfaturus, ascendens in Hierusa-
" lem, testibus Evangelistis, hunc vectorem
conscendit, sicut id magno mysterio per Za-
chariæ

(d) Val. Max. L. I. c. 5. num. 5.

thariæ oraculum prædictum fuit : & ipse electorum pater Abraham *asinis* tantùm equitâsse legitur, ut non inane sit illud apud vulgus vetus proverbium, quô dicitur *asinus portare mysteria*. Quo nunc ego Vos egregigios illos scientiarum Professores, quin imo *Cumanos asinos* admonitos volo, quod nisi humanarum scientiarum depositis sarcinis, ac *leonina* illa (non quidem à leone illo de *tribu Juda*, sed ab illo, qui circuit rugiens & quærens, quem devoret, mutuata) pelle exuta, in nudos & puros *asinos* redieritis, esse vos portandis divinæ sapientiæ mysteriis omninò penitusque inutiles; neque verò *Apulejus* ille *Megarensis* ad Isidis sacra mysteria unquàm admissus fuisset, nî prius è Philosopho versus fuisset in *asinum*. Legimus diversorum animantium miracula, *elephantum* græcos pinxisse characteres, eundem etiam *Aristophani* grammatico rivalem, *Stephano* Polidem puellam adamasse tradit *Plutarchus*: quin & *draconem* adamasse puellam Ætholidem apud eundem autorem legimus : eundem etiam suum servasse nutritium, & ad agnitam vocem accurrisse à multis creditum est. Et apud *Plinium* legimus, *aspidem* ad mensam cujusdam quotidiè venire solitam, cùm sensisset ab uno catulorum suorum hospitis filium interemtum, in violati hospitii pœnam, necem intulisse catulo, nec postea præ pudore in tectum id reversam. Recenset idem,

pantheram ob eductos è foveâ catulos retuliſſe homini gratias, & extra ſolitudines eductum in viam publicam reſtituiſſe. Jam verò & *Cyruno* à *cane*, & Romanæ urbis conditores à *lupa* nutritos, cùm eſſent expoſiti, celebratum eſt. Tranſeo *delphinorum* miracula, & *leonum* agnita beneficia relatàsque gratias. Taceo urſam *Dauniam*, ac bovem *Tarentinum* à *Pythagora* manſuefactos, horumque ſimilia per multa. Sed quod omnium prodigiorum vincit admirationem, *Ammonius Alexandrinus*, ſummus ſuo tempore Philoſophus, Divi *Origenis* & *Porphyrii* Præceptor, *aſinum* ſapientiæ auditorem illis condiſcipulum habuiſſe legitur: quin etiam ex ſacra Bibliorum hiſtoria ſcimus, *aſinum* aliquando Prophetico ſpiritu donatum. Nam cùm *Balaam*, Vir ſciens & Propheta, exiret, ut malediceret populo Iſraël, angelum Domini non vidit, vidit autem *aſinus*, & humanâ voce ad ſeſſorem *Balaam* locutus eſt. Sic, inquam, ſœpiſſimè videt ſimplex & rudis idiota, quæ videre non poteſt depravatus humanis ſcientiis ſcholaſticus Doctor. Nonne *Samſon* in *maxilla aſini*, in *mandibula pulli aſinarum*, percuſſit & delevit Viros Philiſtæorum? ſitiensque oravit Dominum, quia aperuit molarem dentem in *maxilla aſini*, & egreſſæ ſunt aquæ vivæ, quibus hauſtis refocillati ſunt ſpiritus & vires ejus. Nonne Chriſtus in bucca *aſinorum* ſuorum, ſimplicium & ru-

dium

dium Idiotarum, Apoſtolorum & diſcipu- „
lorum ſuorum, vicit & percuſſit omnes Phi- „
loſophos gentium & legisperitos Judæorum, „
omnemque humanam ſapientiam proſtravit „
atque confecit? propinans nobis ex illorum „
ſuorum *aſinorum* maxilla aquas vitæ & ſapi- „
entiæ æternæ. Jam verò in Eccleſiaſticis hi- „
ſtoriis & Sanctorum geſtis varia & multa le- „
gimus illorum precibus in diverſa animalia „
collata, divinò munere, beneficia. At nul- „
lum unquam animal à mortuis ſuſcitatum „
legimus, præter *aſinum* illum, quem B. *Ger-* „
manus, Britorum Epiſcopus, in vitam revo- „
cavit. Quo inſigni miraculo oſtenſum vi- „
detur; *aſinum* ipſum etiam poſt hanc vitam „
participare immortalitati. Ex iis igitur, quæ „
jam dicta ſunt, Sole clariùs liquet, nullum „
animal tam eſſe *divinitatis* capax quàm *aſi-* „
num, in quem niſi verſi fueritis, divina my- „
ſteria portare non poteritis. Proprium id „
olim apud Romanos Chriſtianorum nomen „
erat, ut vocarentur *aſinarii*, ipſamque Chriſti „
imaginem *aſininis auribus* pingere ſolebant. „
Teſtis horum eſt *Tertullianus*. Quocirca „
jam non indignentur, nec ſibi opprobrio „
reputent noſtri Pontifices & Abbates, ſi apud „
iſtos ſcientiarum giganteos elephantes *aſini* „
ſint atque vocentur: nec miretur Chriſtia- „
num vulgus, ſi apud iſtos Eccleſiarum præ- „
fectos & ſacrorum noſtrorum Myſtas, quò „
quisque doctior eſt, tantò inter reliquos fiat „
pau- „

« paucioris. Non enim faciunt ad *asinorum* « aures lusciniarum cantus & moduli, atque « nec *asinorum* insuavem & minimè musicum « ruditum ad lyram consonare in proverbio « est. Atqui tamen ex *asinorum* ossibus, exem« tâ medullâ, omnium optimæ fiunt tibiæ, quæ « spiritu inflatæ, sicuti omnium avium elo« quentissimam canoritatem, ac cujusque lyræ « aut citharæ elegantissimos sonos, longissimè « superant atque vincunt: ita religiosi isti Idio« tæ suo *asinino* clangore omnes loquacissimos « Sophistas superant atque præcellunt. Sic « legimus, nonnullos gentilium philosophos « ad *Antonium* visendum venisse, disserendi gra« tiâ, & brevi sermone abs eo captos, cum ru« bore & verecundia abscessisse. Legimus et« iam, simplicem & idiotam hominem quen« dam in literis exercitatissimum ac versutissi« mum hæreticum paucis verbis devicisse ac « reduxisse ad fidem, quem doctissimi Viri & « Episcopi, qui ad *Nicanum* Concilium conve« nerant, diuturnâ & anxiâ admodum dispu« tatione non poterant superare. Interroga« tus autem postea ab amicis, quomodo idiotæ « cessisset, qui tantis restitisset doctissimis Epi« scopis, respondit: *se Episcopis facilè pro ver« bis verba dedisse, huic autem idiota, qui non ex « humana sapientia, sed ex spiritu loquebatur, re« sistere nequivisse.*

Joannis Lauterbachii

§. 25. Addimus *Joannis Lauterbachii* in Noscowitz, JC. Saxonis, elogium *asini*, in

in gratiam *Viti VVinsbemii* JConsulti scriptum: (e)

Vatibus audendi si quidlibet æqua potestas,
atque sacra brutis nomen ab arte venit.
Eja age tentandum, num duræ sortis *asellus*
carminibus posthac dignior esse queat?
Alea dum veteres damnosa exercet amicos,
creber & infestâ ducitur urbe chorus.
Aoniæ, mea cura, Deæ, Phæbeaque laurus,
nec mihi sunt tanti pocula, ludus, amor.
Ergo quod à vulgo distemus limite largo,
disparibus numeris quærere vera lubet.
Congrediar monstris, vel Lernam robore præstent:
anguineum nostro decidet ense caput.
Vile, *rudens animal*, ducit malesana caterva,
Marte, togâ spretum: nec ratione probat.
Virtutes falso damnantur propter abusum:
nec minor est ornans indica gemma pedes.
Inspice rem solers, animalia vincere dices,
seu taurus fuerit, seu leo, *mulus*, equus.
Nec magis humanis pecus ulla est usibus apta:
hujus ager, mystes, aulaque poscit opem.
Hanc opifex rerum sapiens formavit eodem,
quadrupedum quô sunt agmina facta, die.

(e) ex Dornav. Amphitheatr. sapient. Socrat. T. I, pag. 501.

Bellua dente nitens, equus, & genus acre
leonum
cornigeri cervi, ruricolæque boves.
Sævus aper, turpes ursi, capríque petulci,
visque canum, innumeræ, magna minor-
que feræ.
Formanda alipedum duris sunt ora lupatis;
compellant stimuli sub juga panda boves.
Nil horum simplex, *Sileni vector* inertis
indiget: at recipit pondera justa volens.
Est cicur, impensæque levis tenuisque para-
tus:
Chaonis utque ales candida, felle caret.
Aurea cùm primo currebant secula mundo,
gens *asini* residens tergore fecit iter.
Sic insignis Abras, armis, pietate celebris,
ad *Moriæ* pergit culmina sacra parans.
Sicque petit sponsum soboles formosa *Ca-
lebi*,
& rapto in Regis ducta *Nabale* thorum.
Primus & Isacidum procero corpore, *Saule*,
inquirens *asinas* sceptra mereris humo.
Pignora sic ibant Regum stipata ministris,
quæ cauto vexit mitis *asella* gradû.
Mulciber & *Bromius* sic in fera prœlia tendunt
terrigenûm, veluti scripta Pelasga notant.
Quingentas *asinas* Jobus prædives alebat,
mille sed Arcadicis Mænalis ora jugis.
Quid referam chartas, *asinus* quibus *aureus*
extat?
hanc Domini in speciem versa figura fuit.

Fax

Fax hinc bina tenet nomen sub sidere *cancri*;
hæc pecus est *Baccho* victima grata Patri.
Ejusdemque soni ludit sub gurgite *piscis*;
& miram *turrim Felsina* docta colit.
Insula in Adriaco brevis inde agnomina sumsit,
Pollio Romano clarus & eloquio.
Flectere nodosam possunt *asinina* podagram
ubera, lac sumtum toxica dira fugat.
Unde decus formæ consors *Poppæa* Neronis
abstulit illius non sine *lactis* ope.
Stipat idem *melli* permixtum, *oculisque* medetur
ungula, si jungas non redolente favo.
Adde *jecur* subitò præbens medicamina morbo,
mens oppressa sua cùm statione jacet.
Omne animal reliquum prodest ad singula tantum:
scit torvi tantùm natus arare bovis.
Noster *arat, ducit plaustrum, frugesque recondit*,
poplite quin citiùs pondera lapsa cadant.
Pauperis est æquè fidus, ditisque Minister,
per nemus umbrosum, compita, templa, vias.
E cute, fullonum dextris, *membrana* paratur,
utilitas vitæ non redit unde levis.
Glabra notas graphii recipit patiturque lituram:
hinc fatui doctis nomen inesse reor.

Quæritis, ô ſtupidi, cur non in fruſtula ſe-
ctam
hanc *carnem* menſis uncta popina coquat?
Humano generi placidè ſervire laborat;
ergo bonæ parcit noſtra culina feræ.
Itque reditque vias conducens ligna, fari-
nam,
tollat ut inviſam toſta ſiligo famem.
Utribus impletis oneratur in urbe *Quirini*,
Tibridis & fluvio terrea vaſa replet.
Denique cùm merces importet & extera vina,
grande quoque hunc fuerat mandere velle
nefas.
Huic data pax generi: ſed equo tuba rauca
feroci,
corpora ſuſtentans vivere dignus erat.
Perloquitur clarè *Bileami* territa *aſella*;
quid ſimile in libris, optime lector, habes?
Rex *Syrus* oppugnat cùm regia mœnia bello,
auritum grandi venditur ære *caput*.
Belgarumque recens exornat *fercula* fœtus,
ſolennes epulas quando parare ſolent.
Fama, *aſini* pugno ſtatum fert, calce leonem,
orbis *Alexander* cùm moderator erat.
Plus valet occiſi, quàm cetera viva, cadaver,
maxillaque cadunt corpora mille Virûm.
Abdita fata canens natis moriturus *Jacob*,
in volucris *aſini* Te quoque, Chriſte, notat.
Hujus & in decimo præcepto mentio facta
eſt,
beſtia ſic digitis noſtra notata Dei.

Pro-

Prodiit hanc Christus propè castæ matris ab alvo;
aurea cui parent sidera, terra, salum.
Vagit, & est hujus tener in præsepibus hospes;
hac ductus *Nili* fertur in arva puer.
Lora tenens hujus, *Solymam* processit ad urbem,
affirmans sociis hâc opus esse sibi.
Pullum, qui lateri fæcundæ matris adhæsit,
indicium voluit fœderis esse novi.
Discite mansvetis homines hinc moribus uti,
sint procul à Vobis fastus, & ira procul.
Muneris assidui jussus labor otia pellat;
scilicet in vita deside pauper eris.
I nunc, & phaleras mihi præfer inepte caballi:
sim tibi nunc *asinus*, tu mihi grandis *eques*.
Non minus in gyrum spumantia ducimus ora
cùm libet: hæc dudum trita palæstra mihi.
Tergore cornipedis celeres trajecimus amnes,
quique ferox Latium, Gallaque rura secant.
Nos *asini* nihilum labor in commune fatiget:
sorteque *Sejanus* nunc tibi servit *equus*.

thefes afininæ, §. 28. Subjungo denique *thefes afininas* Jufti Onophili:

THESES ASININÆ,
Omnibus orthodoxæ, feu repurgatæ, Philofophiæ Candidatis,
In Collegio Sapientum, propofitæ
à
Jufto Onophilo.

Thefis prima.

I. Quod *Papa* in univerfo Clero eft, *Sanctiffimus* & *Eminentiffimus*, hoc *afinus* eft inter omnia animalia, *optimus* fcilicet & *maximus*. Tulit enim, quem cœli non capiunt, nec terra comprêndit, Regem omnium Regum, Papæ, Cæfaris, omniumque dominantium Dominum. Qui honor nec *Papa*, nec *Imperatori*, nec *Regi* contigit, aut continget in æternum.

Thefis fecunda.

II. *Afinus* eft dexterrimus *orthodoxa Philofophia Magifter*, fidelisque *Ethices Profeffor*. Omnes quippe virtutes, vero & chriftiano homine dignas, laudabili fuo exemplo nos edocet.

Thefis tertia.

III. Imò *afinus* eft *omnium Facultatum Doctor*. Studiofos *Theologia* docebit veram paupertatem,

tatem, mœrorem sine luctu, mansvetudinem, patientiam, simplicitatem, cordisque munditiem, innocentiam, & perpetuum sanctæ pacis studium. *Legum* cultoribus explicabit justitiam & æquitatem, quâ sine in nihilum recidit hoc universum, monstrans, quî honestè & modestè vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere ac linquere debeant. Et hæc est medulla totius jurisprudentiæ. Etiam *Medicorum* præceptor est, ùt in conflictu probabitur.

Thesis quarta.

Ecclesia catholica per totum terrarum orbem primordium & *auspicium anni* sui capit ab *asino*, uti Sanctissimus Propheta *Jesaias* principium prophetiæ suæ abs eodem, itidem prophetico spiritu donato: adeoque initium sapientiæ christianæ *asinus* Dei. IV.

Thesis quinta.

Asinum qui habet, *pharmacopolium* habet *portatile*. Cunctis enim morbis, internis & externis, *citò, tutò, jucundè, & gratis* medetur. V.

Thesis sexta.

Hinc *asinum* nunquàm sine summa reverentia intueri aut præterire oportet. Nulli enim justiùs EXCELLENTIÆ titulus competit, quàm *asino*. VI.

Thesis septima.

Excellentem eum fecit ipse Christus in nativitate sua, & in gloriosissima sua pompa VII.

Hierosolymitana. Ex toto sacro codice *Excellentia* ejus patescit ad oculum. Non errat igitur, qui θαυμάσιον animal ihre Hoch-Ehrwürden vocaverit. Quis enim majori honore dignior?

Thesis octava.

VIII. *Asinus* in indice *Sanctorum* primarium occupat locum. Non tantùm portavit sanctissimum omnium Sanctorum, sed etiam, virtute divinâ, mirabilissima patravit *miracula*.

Thesis nona.

IX. Rex *Alexander*, in memoriam *equæ* suæ, (f) amplissimam condidit urbem (g) *Bucephalem*. Quot oppida, aliaque loca, ab *asino* nomina sortita sunt sua?

Thesis decima.

X. Sublimissimus & incomparabilis planè titulus, si quis verè dici queat *Severus*, seu *Justus Asinarius*.

Thesis undecima.

XI. Omnis *asinus* (ùt dixi) *Doctor* est. Atutinam omnis *Doctor* simul *asinus*, i. e. indole & ingenio *asinino* præditus! Sic enim non esset *malus Doctor* in orbe.

Thesis

(f) Vid. Piccatti pericul. Critic. cap. 1. (g) Justin. L. XII. cap. 8.

Thesis duodecima.

Ergo tunc demum Respublica beata fuerit, si vel Philosophi gubernant, qui virtutum *asiniarum* seduli studiosi sunt, *frugalitatis* nempe, *parsimoniæ, cata simplicitatis, patientiæ, ἀυλαρκείας* &c. Seu illi, qui imperant, ab hujusmodi reguntur philosophis. Næ sic omnia fient ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. XII.

INTROITE ERGO,
Qui *Boni* & *Curiosi* esse vultis,
sed *auriculis asini* ornati,
NAM ET HIC DII SUNT!



SECTIO SECUNDA

Quæ Historica,

Cujus Pars prima agit de Usu Asini

POLITICO - TOGATO.

CAPUT I.

DE USU ASINI IN CONDENDIS ET DENOMINANDIS INSULIS, URBIBUS, PAGIS, VILLIS, MONASTERIIS, CASTRIS, FLUVIIS, MONTIBUS, FONTIBUS, PONTIBUS, TURRIBUS, PRATIS &c.

§. I.

Insula INsula in Adriaco *brevi inde* agnomina *sumsit*, ait *Lauterbach.* (h) Sinus *Asinaus.*
urbes (i) *Eselburg* oppidum propè Francofurtum ad Mœnum. *Asine* oppidum in litore Messeniæ. Urbs Midæ Esels-Ohr dicta. (k) Anno Domini DCCCX. Karolus Cæsar & contra Regis *Godefridi* insolentiam, & contra Slavorum proterviam, civitatem trans Albim, ad Sturiæ fluminis ripam, ut contra utrosque velut arx belli esset per *Egbertum*

(h) in encomio asini, (i) Cluver. L. IV. introd. geograph. c. 7. (k) S. I. c. 1. §. 5.

tum Regulum in loco *Eselsfeld* ædificandam locavit. (l) *Eselveld* oppidum proprio igne crematur, ita, ut nec fontes in terra, nec fontes sub terra, nec stabulum permaneret in oppido. (m) *Onuphiles*, urbs Ægypti, apud *Herodotum*. *Eselbach* pagus propè Langfeldium ad Mœnum. *Asina bella* dicitur villa in agro Romano, quà itur Braccianum. In Electoratu Saxonico haud procul Altenburgo prædium Nobilium ab *Lichtenhayn* est *Eselshayn*, licèt alii *Ezelshayn* scribant. Pagus *Mockern*, sub præfectura Altenburgica, sacris peregrinationibus olim famosus, à Wendica voce *Mocker* i. e. *asino* nomen traxisse dicitur. Relictis enim in hoc loco *asinis*, peregrinantes conscendebant montem. Villæ *EselWald* meminit alicubi *M. Michaël Vranius*, Gymnasii Hersfeldensis Rector: Cœnobii *Onoglott* Isibordus *Amelunxius* in breviario rerum memorabilium. Sic enim ille: *F.* Felix *obiisset ferè in claustro* Onoglott &c. At quem locum ille intellexerit, divinare nequeo. *Asino longo* castri nomen in agro Senensium. Ὄνυ γνάθος, *asini maxilla*, promontorium Peloponnesi, quo de suprà. (n) Esse castrum in Diœcesi Hildesiensi. (o) *Eselmarchia* arx familiæ Ranzovianæ. De *asino* Anthronis vide me suprà. (p)

pagi,

villa

cœnobium,

castra, arces &c.

G 6 §. 2. In

(l) Vorburg. Vol. X. Hist. pag. 349. a. (m) chron. Engelhus. p. 287. (n) S. I. cap. 1. §. 5. (o) Chron. Comit. Schauenburg Hermann. de Lerbeck. (p) S. I. c. 1. §. 5.

fluvii §. 2. In Sicilia ingens *fluvius* est, secundo à Catania lapide, cujus ponis ligneus quatuor capax curruum à transeuntibus *asinis pons asinorum* dicitur. Ejusdem nominis alius, inter Aquilegiæ urbis ruinas ab Attila destructæ, ab *asina* marmorea, binos lactente fœtus, ita vocatus, cujus reliquiæ adhuc supersunt. De *asinaro* flumine vide infrà (q) In agro Brunsvicensi *rivulus* est, quem nonnulli den Eselbach vocant. Alius mœnia Altenburgensia lambens, vulgò die Hölle / promanat ex pago Altendorf. Alii eum Katzenbach nominant. Et quia stabulum *asinorum* in mola polentaria præterfluit, nomen dedit ibidem *semita asinina*, dem Eselstieg. Agunt etiam de

montes *ponte asinorum* Dialectici. *Mons asinellus* in Abrutio, D. *Eustathii* templo celebris, quod in vertice ejus est. (r) Propè Förstenauam *collis* est, quem olim accolæ vocabant den Eselsbrinck / ideò quòd *asini* eum conscendentes, inque cacumine ejus se volutantes, plerunque pluviam prædicerent. Mutinæ

fontes *fontem* ab *asino* denominârunt, quòd aliquando in eum *asinus*, soleis argenteis indutus, à Bononiensibus excoriatus, ludibrii causâ in urbem jactus incidisset, ùt ex *Pompeji Vizanii* historia Bononiensi (s) narrat *Aldrovandus*. (t) Cl. Autor dialogorum menstr. (u) meminit ex chronico MSto Gothano *My-*

conii

(q) loc. jam cit. (r) eod. loc. (s) L. III. (t) loc. alleg. p. 148. (u) anno 1689. p. 750.

tonii inter alia Hersdorfii ad *fontem asini* propè Portam. In veteri manuali reperi *pontem asininum*, quo de lapsus *Daniel* Knapp / & alibi die Onebrüggen. pontes

§. 3. De turri *Asinellorum* Bononiæ it. *Zeilerus:* (w) Mitten in der Stadt liegt der hohe Thurm / de gli *asinelli*, von den *Asinellis*, so solchen erbaut / also genandt / auf welchen man 448. wie Schraderus, oder 447. wie Pflaumerus, oder 500. höltzerne Stafel / wie Villamontius schreibt / zu steigen hat. In einem geschriebenen Reisebuch finde ich / daß man solchen Thurm unter die höchsten in Europa zählt / auf welchen man 44. Leiter zu steigen / deren jede über 8. oder 10. Staffeln habe / und daß theils 460. Staffeln zählen / sey auch nicht ohne Gefahr allda auf- und abzusteigen / wegen der höltzernen Staffeln / deren theils gebrochen / theils aber gähe sind. Man sagt / daß der Erbauer dieses Thurms mit einem einigen Eselein so viel Guths zusammen gescharrt habe. Johann Wilhelm Neumeyer von Ramla schreibt in seinem Reisebuch durch Welschland und Spanien / daß besagter Thurm 440. Stuffen habe / an welchem ein viereckigter vergitterter Korb hange / darin man einen Mönch / so aus der Beicht geschwätzt haben sol / gesetzt / und hungers sterben lassen. Notissimum in Germania *pratum*, ab *asino* sic dictum, propè Quer- turris pratum

(w) in Itin. Ital. p. 122.

Querfurtum. Circa AC. MVI. *Bruno*, Dynasta Querfurtensis, (aliis *Burcardus* est,) *Henrici* II. Imp. sacellanus, abiit in Prussiam, fidem illaturus catholicam. Et cùm Querfurtô eò aliquando tenderet, *asinus* ejus longiùs in prato progredi noluit, sic ut cum fratre suo *Gebhardo* in oppidum reverti coactus fuerit. Postea in perpetuam rei memoriam *Bruno* sacellum ibi condidit, zur Eselswiesen dictum. (x)

aurifodina §. 4. De *aurifodina* Silesiaca, vulgò der güldne Esel/ suprà egimus. (y) Commentum est, Silesios ob stupiditatem *asinum* pro lepore venatos & devoràsse. Wannenhero/ ait *Schickfusius*, (z) dieser Nahme ist hergeflossen/ weiß man insgemein anders nichts hievon zu reden/ als daß die Vorfahren solche einfältige Leute gewesen / welche einen Esel niemals gesehen / vielweniger gekennt / (uti iste Lubecensis, qui cùm Halæ Magdeburgicæ primùm videret *asinum*, rogavit socios suos, was denn das vor ein artlich klein Pferdgen wäre?) und deßwegen denselben grossen Hasen zu Crossen geschossen / zu Zobten gebraten/ und zu Breßlau sollen aufgefressen haben. Wenn aber von der rechten Ursache solches Nahmens sol geredet und geschrieben werden/ so ist der günstige Leser dahin

(x) Vid. Chron. Querfurt. Spangenberg. & M. Pfefferkorn. Thuring. c. 25. p. 316. (y) S. I. cap. 1. §. 5.
(z) L. IV. annal. Siles. c. 1.

dahin zu weisen/ daß aus den Bergwercken solcher Nahm hergeflossen. Denn weil um Reichenstein von vielen Jahren her ein stattliches reiches Bergwerck/ und unter andern Goldgruben auch an dem Ort eine sonderlich am Gold sehr reich gewesen/ so man den güldnen Esel genannt/ zu welchem die Innwohner des Lands sich fleissig gehalten/ und keinen Ausländer dazu kommen lassen wollen/ haben die Ausländer aus Ungedult gesagt/ daß die Schlesier auf den güldnen Esel eifrig beflissen wären/ als wolten sie denselben allein aufffressen.

Quaeritis inter vos, cur gens antiqua Silesos
dicat asellivoros *conditione pares?*
Reichstenidum *in terris auro meliore fodina*
dives, & hac asini *nomine clara fuit.*
Illam nostrates, peregrinis undiq; pulsis,
cùm peterent nisû fervidiore Patres;
Inde voratores asini *sunt undiq; dicti,*
tempora quod Slesis nomen ad ista manet.

D. *Georg. Tilenus*, JC. & Consiliarius Münsterbergensis, ita:

Esores asini *quondam dixêre Silesos,*
causa rei quae sit, quaestio nata fuit.
Mons propè Reichstenium *est, auro divesque fodinis,*
aureus *hinc* asinus *nomine dictus erat.*
Has quia Silesi solùm tenuêre fodinas,
esores asini *sint quasi, nomen habent.*

Verùm

Verùm inde natam esse originem fabulæ, certò affirmare vix audet M. *Caspar. Sommer.* (a) Hinc non nemo:

Esto, asinum *quondam deglutivisse Silesos;*
objicere ut Slesis ille vel iste solet.
Ast asini cerebrum *non glutivisse Silesos,*
inviti Proceres Regis & acta docent.
Hinc & sunt adeò cauti catiq; Silesi,
ut vincunt alios dexteritate Viros.

Quis enim nescit *Sennertos, Gesneros, Reusneros, Svevos, Pomarios, Hanekios, Opizios*, & sexcentos alios dignos laude Viros, quos Musa vetabit mori. Ceterùm de pluribus *Onophagiis* vide lepidissimum Autorem *colloqu. menstr.* (b)

§. 5. Ultra Collegium Marianum *area* quædam erat Lipsiæ in via equestri, & in hac aliquot ædium superficies, ab incolis *fascagela* (Eselplatz) appellata, cujus nominis causa & origo incerta est. (c) *Asinorum paradisus* dicitur Perusii *platea* quædam, quâ itur ad monasterium S. Francisci. Est Altenburgi *porta*, ab *asinis* dicta die Eselpforte. Senatus quidem *portam molariam* (Mühlpforte) vocari jussit, sed plebs antiquum suum obtinet. Apud Foro-Julienses *via* vulgò dicitur *qui mi cadde l'asino*, i. e. *hic meus cecidit asinus*. Quæ verba in perpetuam rei memoriam

Eselsplatz | platea | porta | viæ

(a) in onophagia Silesiorum edit. Wittenberg. 1677.
(b) ann. 1689. p. 580. (c) vid. David. Peifer. rer. Lipsiens. L. III. p. 310.

riam saxo incisa leguntur. In agro Bononiensi, quâ itur Florentiam, vides *scarica l'asino*, i.e. *asino sarcinam demitto*, propterea quòd *asinus* eò perveniens præ lassitudine quietem sibi poscat. *Via asinaria* una ex villis, quæ Romam ducunt. Der Eselsstieg aspera via in Solingo. *Vallis asinaria* haud procul Tiguro. De *asino*, à monachis eucharistico pane cibato, & locum templi condendi iis monstrante, vide *Joh. Frid. Meyer.* (d) *Cella asinorum* locus subterraneus in monasterio aliquo illustri, in quo monachi immorigeri fame & ferula plectebantur, quo de *Meinhart. à Lüchtringen* ita: (e) *F. Sebaldus* cellam asinorum *ingressus, varia terriculamenta nocturna habuit, ut etiam postea* cella *ista in commodiorem tutioremque locum translata fuerit. Locus enim iste, ubi primùm erat, obspectra terrifica longè lateque infamit erat. Mater Ecclesia est, non noverca. Et illius, non hujus filii sumus cœnobitæ. Discreti ergo esse debent Prælati, & non semper juxta capita sua irregularia procedere. Patres sunt nostri, non carnifices. Sed quid asperius humili, cùm scandit in altum?* Est alius in Germaniæ aliquo oppido locus sub curia, abs *asino* dictus, in quo immorigeri coërcentur cives.

Vallis

carcer

(d) comm. de eucharistia infantibus data p. 67. seq.
(e) in compend. mirabil.

CAPUT II.
DE USU ASINI IN FUNDANDIS ET DENOMINANDIS FAMILIIS NOBILIBUS ET PLEBEJIS.

§. 1.

IGnobiles aliquando bestias clarissimis familiis imposuisse nomina, constat inter omnes. P. Decius *Mus*, L. Mamil. *Vitulus*, T. Statil. *Taurus*, S. Ælius Petus *Catus*, P. Rutilius *Lupus*, M. Flav. *Aper*, L. Calpurn. *Bestia*, omnes & singuli Consules Romani. Quem igitur pudeat abs *asino* cognomen mutuasse suum? Inter nervosæ memorabilia vivacitatis exempla meritò refertur *Asinius Pollio*, haud minima pars romani styli, qui in tertio suarum historiarum libro, sexcentum & viginti annos explêsse, commemorat, (f) primus bibliothecæ Romanæ inventor, (g) quæ in atrio Libertatis erat.

Asinius Pollio

Nec me quæ doctis patuerunt prima labellis
atria Libertas *tangere passa sua est*. (h)

Q. Horat. Flaccus (i) vocat eum *insigne mœstis præsidium reis, & consulenti curiæ, cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumfo*. Scilicet ductor erat germanici exercitûs, & post captam *Salonam* laurus promeruit victrices.

Salona

(f) Val. Max. L. VIII. c. 13. ext. num. 4. (g) C. Sveton. in Augusto c. 29. Vergil. de invent. rer. L. II. c. 7. p. 129. (h) Ovid. L. III. Trist. eleg. 1.

Salona, vel *Salonæ*, Dalmatiæ civitas, inter *Tragurium* ad occasum, & *Almissam* ad ortum, in inscriptionibus veteribus *Colonia Martia, Julia Salona* dicitur. Erat ibi nobile palatium *Diocletiani.* Habuit cives pugnaces, cujus rei specimen non feminæ minùs quàm Viri illustre dederunt bello civili Cæsariano. Octavium enim obsidentem miro astu doloque territum fugere compulerunt, nocturnâ irruptione castra ejus aggressi. Hanc urbem *Asinius Pollio* aliquot annorum intervallo postea cepit, & filium, qui circa id tempus ipsi natus erat, ab ea *Saloninum* appellavit. Hic est *Saloninus*, qui natus statim risisse fertur, (k) & cui Virgilius genethliacum dixit. (l) Salona

Pollio *amat nostram, quamvis sit rustica, Musam*, (m)

ait Damætas Maronianus. *Plinius* (n) eum vocat *acris vehementiæ virum* & *diligentem*, qui sibi solus *romanè* loqui visus est, quippe cui *Patavinitatem* olet Livius, Virgilius *Mantuanitatem*, Ciceronis autem dictio parùm sapit, tradente *Quintiliano*; (o) etiam librum scripsit contra *Sallustii* scripta, ùt est apud *Svetonium.* De CLL. Grammat. *J. Cæs. Scalig.* tamen (p) asserit, si *Pollio* meliora non dixerit iis, quæ exstant, malle se cum istis

H 2 minùs

(i) L. II. carm. ode 1. (k) Cluver. L. IV. introd. geograph cap. 4. (l) eclog. IV. (m) eclog III. v. 84. (n) L. XXXVI. c. 1. (o) L. VIII. c. 1. & L. X. c. 12. (p) L. IV. Poët. c. 17.

minùs Romanè loqui, quàm cum illo eum ad modum, quem legimus ex fragmentis. Idem ferè judicium *Senecæ*, quod vide in *Comment. Taubmanni.* (q) *Patavinitatem* T. *Livii, quam gustabat* Pollio Asinius, *nos non gustamus*, ait *Lud. Vives.* *Pollio & ipse facit* nova *carmina*, (r) *nova*, i.e. magna & admiranda.

Huic perculsa novâ *mentem formidine mater* &c. (s)

Scripsit enim tragœdias, & historiam belli civilis. (t)

Qui te, Pollio, *amat, veniat, quò te quoque gaudet:*
mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum. (u)

Vide, si vacat, fusiùs *Plin.* (w) Elegans ejus oratio adversus *Catilinam*; epistolas illius ad Ciceronem dabit ipse. (x) *Asinius*, Pollionis filius, diris à Tiberio suppliciis enecatus AC. XVIII. (y) Nullas hic à cœna resignabat legebatve literas, ut animo curis soluto & tranquilliori somno se traderet. (z) *C. Asinius* Gallus orator, quo de ita *Tertullianus*: (a) *nullis vitiis adulor, nullis veternis parco,*

Asinius Pollionis F.

C. Asinius Gallus,

(q) ad eclog. III p. 36. (r) eclog. cit. v. 86. (s) IV. Georg. v. 357. (t) Vid. Turneb. L. X. c. 11. Fries. bibliothec. Philosophor. ad AM. 3900. (u) eclog. III. v. 88. seq. (w) L VII. c. 30. L. XXXV. c. 2. (x) L. X. ad familiar. p. m. 370. seqq. (y) Marian. Scot. L. II. chron. ætat. 6 pag 359. (z) Mizald. ex Senec. C. XII. memor. pag. 469. (a) L. de pallio cap. 5.

co, adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummûm orbem citri emit, qua bis tantùm Asinius Gallus *pro mensa ejusdem Mauritania numerat, hem, quantis facultatibus æstimavêre ligneas maculas.* Sed vide sis Cl. *Demsterum.* (b) *Asinius Sabinus* memoratur à *Tacito*, (c) & *Asinius Capito* ab Agellio. (d) *Asinium*, quendam Epicadum *hybridam* vocat Svetonius, (e) quòd ex patre Parthico & matre Romana natus esset. (f) *Asinii Quadrati* scripta de Germania fato suo sunt amissa. (g) *Q. Asinius Marcellus* COS. Romanus post C. N. anno 54. Fusiùs de stemmate *Asiniorum* Tacitus. (h) Tribuitur etiam *Asinii* cognomen Plauto in omnium fabularum titulis, quia, juxta *Meursii* opinionem, ex pistorum prosapia erat. Asinius Sabinus & Capito, & alii,

§. 2. Inclytis *Corneliis* cognomen ab *asina*, quia princeps hujus gentis emto fundo, seu filiâ datâ marito, cùm sponsores ab eo solenniter poscerentur, *asinam* cum pecuniæ onere perduxit in forum, quasi pro sponsoribus præsens pignus. (i) *Cornel. Asina* interrex apud Livium, (k) & *Cn. Corn. Scip. Asina*, COS. Romanus, bellum Istricum motum vidit, quòd Istri Romanorum naves fru- Asinæ,

(b) Paralip. ad Antiquit. Rosin. L. V. c. 26. p. 792.
(c) L. I. c. 13. (d) L. I. c. 18. (e) in Augusto c. 19.
(f) conf. Bernegger. quæst. miscell. ex Tacit. n. 12.
(g) Schaten. L. I. hist Westfal. pag. 3. (h) L. III. annal. (i) Macrob. L. I. Saturn. c. 6. Beeman. in origin. LL. p. 445. (k) Dec. III. L. 3.

mento onustas intercepissent, perdomiti autem sunt bello, etsi victoriâ haud incruentâ, triumfavitque de his Scipio. (l) *Lucretius*
Asellæ, *Asella* apud Florum & Script. de Viris illustribus. A *Vinnio Asella* petit Horat. (m) ut in offerendis Augusto suis libris & temporis & decori rationem habeat,

Sic positum servabis onus, ne fortè sub ala
fasciculum portes librorum, ùt rusticus agnum,
ùt vinosa glomos furtiva Pyrrhia lanæ,
ùt cùm pileolo soleas conviva tribulis,
Ne vulgo narres, te sudavisse ferendo
carmina, quæ possunt oculos auresq; morari.

Et:

Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ,
abjicito potius, quàm quò perferre juberis
clitellas ferus impingas, asinæque *paternum*
cognomen vertas in risum, & fabula fias.

Notus est *Sempronius Asellio*, scriptor Romanæ historiæ apud *Agellium*. *Claudius Asellius*
Asellii, tribunus plebis cùm esset reus, in contemtum populi, barbam non desiit radere. (n) De *Asello*, fortissimo Viro, lege *Livium*. (o) *Caspar Asellius*, Cremonensis, sed Anatomicus Ticinensis, venarum lactearum inventor, quas anno 1622. casu magis quàm consilio, aut datâ in id peculiari operâ, sed non fine æterna nominis sui gloria, primùm detexit.

Cum

(l) Calvis. oper. chronol. p. m. 343. B. (m) L. I. epist. 13. (n) Agell. L. III. cap. 5. (o) L. XLIII. cap. 20.

Cùm enim, rogatû quorundam amicorum, in vivo cane bene pasto demonstraret nervos recurrentes, & ad diaphragmatis motum demonstrandum aperiret abdomen, plurimos repentè, eosque tenuissimos candidissimosque, funiculos per mesenterium dispersos est conspicatus: eos primo aspectu nervos putavit, sed mox distinctos à nervis deprehendit; cumque incisis illis lacteus humor emanaret, conversus ad *Alexandrum Tadinum* & Senatorem *Septalium*, Medicos Mediolanenses, qui aderant, εὕρηκα! exclamavit, illos ad tàm jucundum spectaculum invitavit & admisit, eosdemque libello singulari perspicuè descripsit, qui obitum post ejus primò lucem vidit. Hinc istæ *venæ lacteæ*, Milchadern/ adhuc dicuntur *Aselli meatus*. (p) Cornelio Sulla rerum potiente, quidam in domum Cn. *Asinii Dionis* (ut ad hosce paulisper redeam) irrupit, filiumque ejus patriis penatibus expulit, vociferando, non illum, sed se Dione esse procreatum. Verùm postquam à Sullana violentia Cæsariana æquitas reluxit, gubernacula Romani Imperii justiore Principe obtinente, in publica custodia spiritum posuit. (q) *M. Asinius Agrippa* COS. Romanus AM. 3974. Florentiæ *Asinorum* familia florentissima est, è quibus *Asinus de Asinis* reformavit statuta mercatorum. Bononiæ olim

Cn. Asinius Dio.

Asinus de Asinis.

 gens

(p) Vesling. c. 3. syntagmat. anatom. (q) Val. Max. L. XIX. c. 15. num. 6.

gens *Asinellorum* opulentissima, à qua turris in minusculo foro exstructa conspicitur, quam à Conditoribus in hunc usque diem cognominant turrim *Asinellorum*, quæ altitudine structuræque æquilibrio spectatissima est. (r) *Asinaria* Pasiphaë apud *Apulejum* est mulier, quæ ita expetebat *asini* concubitum, uti *Pasiphaë* Poëtria tauro supposta ferinos adamabat concubitus. *Vlricus Arnold* ineptum scribam *asinum* vocarat. Increpat eum Senatus. Sed ille protestatur, se nihil deliquisse, esse genuinum *Joachimi* nomen. Date mihi cretam, & probabo. Scripto igitur vocabulo ASINUS in pariete, legite, dixit. Ita; ob hoc etiam punieris. Non, respondit, invertite vocem, & habebitis vestrum VASSIN. Sic omnes riserunt (s) Quis nescit, ait *Passeratius*, (t) *Asellios* Viros Consulares, *Asinas* Prætorios, *Aselliones* Historicos, Vinnios *Asellas*, *Asinios* Gallos, *Asinios* Dentones, & *Asinios* Polliones, quibus omnibus nobilissimis antiquissimisque familiis id cognominis honoris causa inditum fuit? Josephus *Mulasen* (Maulesel) S. Th. Studios. pie doctus. Franciscus Petrus *Mul*, seu *Mulus*, Secret. Corbeiensis.

Asinaria

Joach. Vassin

Mulasen

Mulus

Onosander

Mulander

§. 3. *Onosander* edidit stratagemata: Nicolaus *Mulander*, Med. Licent. in Pomerania;

(r) Aldrov. L. I. de quadruped. c. 2 p. 147. Conf. cap. præcedent. §. 3. (s) chron. Hüxariens. ad ann. 1155. nostræ edition. (t) in encomio asini.

nia; Fridericus Christophorus *Onurus*, Esel-zahl/ ab ὄνος & οὐρά, cauda, Philosophiæ Candidatus in Prussia. *Quirin Onopus*, Ludimoderator pagenus, germanicè Eselsfuß/ peritissimus Musicus. *Onogyrus* nomen Viri, cujus meminit Varro dicens: à bubus Athenis *Buzuges* nobilitatus, Argis *Onogyrus*. *Onobatis* mulier apud Cumanos in adulterio deprênsa, teste Plutarcho, quæ in forum deducebatur, inque saxo omnibus conspicuo stabat, deinde *asino* imposita circa urbem trahebatur, postea rursus in eodem lapide stare coacta infamis perpetuò habebatur. De *Onoscelia* vide suprà. (u) *Caspar* ab *Onomont* Capitaneus. *Adamus Killius*, Juris Practicus Gedanensis, à græco κίλλος, uti Dorii *asinum* vocant. Georgius Magnusson / seu Magni Filius, Cimber, non indoctus, at fastuosus homo, sibique soli placens, haud amplius dici volebat Magnusson / seu Magni Filius, sed *Megason*, quæ vox ex græca & germanica consuta est, eademque ac Magnusson. Commilitones verò ejus, fatuitatem hominis notaturi, animal nostrum ex eo faciebant, ut audiret Georg. *Megas-onus*, μέγας ὄνος, Görg Groß-Esel. Magnum pro *stulto* usurpabant Veteres.

Onurus

Onopus

Onogyrus

Onobatis

Gnomont

Megas-onus

magnus i. e. stultus,

- - - *modò Reges atq; Tetrarchas,*
omnia magna *loquens* (w)
Pontice, per Reges discurris, & omnia lustras,

H 5 magna

(u) S. I. cap. 3. §. 8. (w) Horat, I. Sat. 3.

magna *quidem sequeris*, *Pontice*, magnus *homo es*. (x)
Qui scribis Priami prœlia, magnus *homo es*. (y)
O quàm magnus *homo es*, *qui fece rubentis aceti*,
& stipulâ & nigro pane carere potes! (z)

Ita μέγας apud *Aristophan.* ponitur pro *insulso & inepto*, ùt *longus* homo apud *Catullum*. (a) *Justi Onophili* theses *asininas* dedimus suprà. (b) *Fridericus Canton* (ὁ κάνθων *asinus*) Nobili Westfalo à pedibus erat. *Nicolaus Vupal* figulus, βȣπαλ@-. *Heinricus Asne* disputavit anno 1690. de *lepra*. *Joann. Paul. Ason*, J. U. Stud., quæ vox ebraicè denotat *asinum*. *Petrus Asenmann*, nauta Hamburgensis. *Asen* verò Danis *asinus* est ab *Ason*.

Onophilus Canton

Asne

Ason, Asenmann

Rieds Esel von Eisenbach/

§. 4. In Hassia sunt Liberi Barones *Riedeselii* ab Eisenbach. Antiqua eorum sedes erat *Brackenburgum* in agro Brunsvicensi, inde dicti die Riedesel auf Brackenburg/ Burgmänner zu Altelsungen. Pulsi autem dicuntur ab *Ottone*, Duce Brunsvicensi, anno 1372. *Hermannus* Ried-Esel nactus primùm dignitatem Equitis aurati à *Sigismundo* Imp., & possedit adhuc castrum *Altelsungense* cum omnibus pertinentiis suis, tracto ad se *Röhrenfurtensi* jure connubii. Duxit enim *Ebhardi* Röh-

(x) Martial. L. VII. epigr. 99. (y) Idem L. IX. ep. 51. (z) idem L. XI. epigr. 57. (a) carm. 68. (b) S. I. c. 3. §. 26.

Röhrenfurtii, Marschalli hæreditarii in Hassia, filiam unicam. Socero isto defuncto, eodem munere ipse infeudatus, quod adhuc penes *Riedeselios* est. Extinctâ demum familiâ *Eisenbachianâ*, arcem istam à Comite Zigenhaynensi in feudum accepit anno 1429. Habent in scuto luteo canum *asini* caput, ore tenens ramulum cum tribus viridiusculis foliis, drey rieden groß. Inde Riedeselii dicti sunt, ùt ex diplomate Cæsareo, vi cujus Baronibus aggregati sunt, fusiùs videre est. Depinxit insigne eorum cum familiæ Generosissimæ parte *Gabriel Bucelin.* (b) Volpertus & Joannes *Riedesel* ab Eisenbach, quo de posteriori jocosum versum recitat. *Gregor. Horst.* (c) Joannes Heinricus *Riedesel*, Consiliarius Saxo-Vinariensis, & Assessor Scabinatûs Jenensis. (d) Nobiles *Riedeselii* in Bellersheim & Vers. Nobiles Asini vom Berg in Franconia, ab *Eselburg* in Svevia, & à *Sauenheim* in Alsatia. Bellersheim uñ Vers/ esel vom Berg/ Eselburg &c.

§. 5. Hermann. Schuttesel / Canonicus B. Virginis Isnaci anno 1439. *Jonas* Eselken / Vicarius Hamelensis, anno 1394. in quem *Tobias Mahlstro* sic: Schuttesel/ Eselken/

Hâc jacet in crypta Jonas, *devotus* asellus,
da requiem Domine - - - -

Stephanus Eselius, Concionator Castrensis, *Adam ab Eseln* & conthoralis ejus Magada- Esel/

(b) in German. notit. genealog. p. m. 256. (c) L. IV. obs. med. 42. p. m. 288. (d) Conf. cap. seq. §. 1.

lena inter benefactores cœnobii Nicolaitani in urbe nostra reperiuntur. Noverat *Försterus* noster Lipsiæ Studiosum Musices peritum nomine *Esel*. *Zacharias Oeseler* Pharmacopœus. David Stallesel/ Medicinæ cultor in illustri Universitate Lugdunensi. *Valentinus* Mannesel / Equitum Magister. *Conradus* Sandesel/ mercator, qui crebrius dicere solebat :

Oeseler
Stallesel
Mannesel
Sandesel

Sandesel ist mein Nahm/
bezahlet ist mein Kram/
mein Glück ist klein/ doch niedlich/
und damit bin ich friedlich.
Ein guter Nahm und etwas Geld
sind meine Schätze in der Welt.

Sackesel
Zauneßler/
Eseljunger
Eselsbach
Eselklau
van der Eselwisch

Hermann. Sackesel/ miles Monasteriens. *Tobiam* Zauneßler / reperi in schedis *M. Mich. Vranii*, qui simul meminit *Gabrielis Zauneselers*, quem *rarioris candoris exemplum* vocat. *Cornelius* Eseljunger sutor. *Jacobus* Eselbach Artium Liberalium Magister, de *ciconia* nervosum scripsit carmen. *Melchior Eselklau*, insignis Arithmeticus, bene mihi notus in Belgio. *Arnoldus* van der Eselwisch/ de *prato asini*, monachus Cisterciensis in valle Joanniticaextra urbem nostram, quo de *Ambrosius Kuhlemann*, cœnobita ad amœnum Amelungi fontem, ita: „F. Arnoldus *ex* asini prato „*ad nos missus, ut originis, simplicitatis, toleran*„*tia & patientiæ ubique memor sit*, *pictum in* „*membrana* asinum *semper collo depensum ha-*

bet

bet sub vestimento interiori. Annon omnes asini „ *sumus? imò felix ille, qui naturam verè* asi-„ ninam *habet. Optimus enim Magister novi*-„ *tiorum* asinus *est, cujus laudes ego non dixero*,„ *satis &c.*„ *Burcardus Joannes à* Nisus / *κατ' ἀναγρ: asinus*, LL. Cultor. *Casimirus* Faulthier Signifer, nomen habebat ab *asino*, quod nec ipse diffitebatur, licèt Faulthier quàm Esel audire malebat. *Tidericus* Möllenthier / scriniarius Westfalus, quo de rythmi: à Nisus Faulthier/ Möllenthier

Jch bin ein gutes Möllenthier /
trinck aber auch gern gutes Bier /
doch Breyhan ist mir ja so gut /
und beydes machet Muth und Blut.

CAPUT III.
DE USU ASINI IN INSIGNIBUS.

§. I.

NEapolitanos elegisse sibi *asinum* clitellatum cum alligatis hinc inde cistis, memorat ex *Thoma Garzonio* Ulysses Aldrovandus. (e) Nobiles *Riedhemii* [quorum genealogiam contexuit *Gabr. Bucelinus*, (f)] *asinum* habent pedibus anterioribus ad cursum exporrectis. Ex horum gente erat *Joannes* Ru- Neapolitani Riedhemii

(e) loc cit. pag. 166. a. (f) in genealog. German. notit. p. m. 210.

Mittelbergii Prickel-Witz Riedeselii *Rudolfus*, Abbas Campidonensis, ab anno 1483. usque 1507. *Mittelbergiorum* scutum eodem animali conspicuum. In *PrickelWitziorum* scuto rubro caput monstratur *asininum*. (g) Vetus *Riedeseliorum* insigne diximus capite superiori, cui additæ sunt lanceæ in campo rubro & duæ turres. Celebres ex his cumprimis *Georgius*, qui cecidit in expeditione gallica, *Hermannus*, Equitum Magister, *Niger* vulgò dictus, *Georgius* senior, Proprinceps Marburgi, *Georg.* Junior, & *Hermann.*, Sacr. Cæs. Maj. Consiliarius & Dux bellicus, qui primùm dignitatem splendoremque *Baronatûs* ad posteros derivavit. Anno 1692. 21. Nov. decessit *Joannes Riedeselius*, Ducalis aulæ Isnacensis quondam Marschallus, animosa Martis propago. Reliquorum Nobilium *Asinorum* [de quibus capite superiori (h)] insignia dabunt *Sibmacher* & *Fürst.* (i) Nobiles ab

Helldorfii *Helldorf* ornant quoque insignia sua *asinô*. Alter ex his Consiliarius intimus & Cancellarius Cizensis hactenus fuit; alter in Præfectura Altenburgensi possidet prædium *Poderschau*.

Hörda §. 2. Nobiles ab *Hörda* Maurum habent cum *asininis auribus* in scuto rubro, uti *Rotenburgi* ad Fuldam cum hoc disticho conspicitur:

Hördis

(g) Frid. Lucæ chron. Siles. P. V. c. 4. p. 1382. (h) §. 4. (i) in Wapenbüchern/

Hördis *masculeam faciem signare* nigrantem

in rubro binis auribus *illa nitet.*

Die Hörden führn in ihrem Schild
mit grossen Ohrn ein Mannesbild/
schwartz und roth ihre Farben sind/
gieb acht auf die Schantz wiedern Gind.

Eselklau *Melchior Eselklau* in scuto habebat duos *pedes asininos*, in galea tres rosas. *Stephanus Eselius*, Concionator castrensis, in scuto *asellum*, trajecto per nares annulo, in galea motacillam. Eselius *M. Jacob. Eselbach* caput *asini* per fenestram prospicientis, in galea ciconiam, quod mater ejus ex gente *Pelargorum* esset. Eselbach *David Stallesel* stabulo inclusum *asinum*. Stallesel *Gregorius* Lastberger *asinum* dorso gestantem saccum farinæ plenum, in quem *Bartholomaus Benedictus Schontach* ita: Lastberger

Bestia Gregorii *saccum sine murmure portat,*

omnes ah! asini, *sed sine felle, forent.*

Est asinus *patiens, & simplicitatis imago,*

simplex & patiens nonne placere potest?

Valentini Mannesels/ Equitum Magistri, insigne erat *albus asinus* frenatus. Mannesel *Cantor* quidam A. S. elegerat sibi *asinum* ad pulpitum stantem, in quo apertus jacebat liber musicus. Cant. Innuere volebat imperitiam plerorumque Cantorum. Paucos enim sibi similes credebat. Ideò nomini suo semper subjecit hæc verba: *utriusque Musica* (putâ vocalis & instrumentalis) *cultor.* Si fuisset Oxoniæ, titulum

lum Doctoris in hac arte affectâsset. Ibi enim, rarissimo in aliis regionibus exemplo, etiam Doctores Musices creantur. (k) Alius verò in eum sic:

Quid monstras asinum *nobis ad pulpita stantem?*
cùm sis Arcadico *stultior ipse grege.*

Tragthürmer

Laurentius Tragthürmer / Not. Cæs. Publ. in Livonia, Vir eruditus & sincerus, in campo cœruleo monstravit mihi *rubram asellam*, dorso ferentem turriculam inauratam, in cujus cacumine *columba* sedebat alis expansis. Ex galea prominebant duo *cornua bubula*, quorum dextum *rubrum*, alterum erat *cœruleum*, inque iis *lilia* candidissima.

Schmedebalg

§. 3. *Conradus* Schmedebalg / Phil. & Art. Liberal. Mag., Amicus meus in Academia Franequerana, in scuto habebat *niveam asinam*, cujus dorso insidebat *alauda*, in galea erat *sciurus* rubri coloris. *Joachimi* Rabenaas/ eximii Jurisprudentiæ Studiosi, scutum ornabat *aureum asini caput*, cujus oculos fodiebat aterrimus insidens *corvus*: galeam obumbrabat parva *corylus*. Cognomen inde accepisse ajebant, quòd gravida ejus mater locum aliquando præteriens, in quo cadavera bestiarum corvis canibusque exposita erant, ipsa frustulum morticinæ abscissum summo, at inordinato, appetitu vorârit. Inde dictus postea Rabenaas.

Rabenaas

§. 4. *Ada-*

(k) Vid. C. IV. epist. Bartholin. n. 92.

§. 4. *Adamo Kill*, (quo de in capite præcedente) Amico Gedanensi, in scuto erat *caput asellæ atrum* cum monili albo, tribus *nolis* argenteis distincto, ore tenens *urticam*. Nobilium *Esseliorum* in Franconia, Svevia & Alsatia insignia etiam bestia nostra insignia fecit, quod artis Heraldicæ studiosis notum est. Kill

CAPUT IV.
DE USU ASINI IN MONETA.

§. 1.

SUnt apud *Hubertum Golzium* duo Syracusanorum nummi ænei cum *mulis* ad bigas junctis, quorum prior ab una parte effigiem ostendit viri velato capite, (*Hieronis* putâ, qui videlicet *Apenen* i. e. *mulorum* bigas primus ad certamen junxit, teste Pausania, iisque primus vicisse dicitur,) cum quatuor delphinis & inscriptione: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ: ab altera *Apenen*, cujus *mulos* flagro impellit idem, nî fallor, Hiero: supervolat victoria, ceu *mulos* coronatura. Alter adverso latere *Arethusæ* nymphæ effigiem habet cum eisdem literis, aversô autem latere est superiori similis, sed sub ipsis *mulorum* pedibus expressus est serpens quispiam, nisi potius scolopendram marinam dicas. (l) nummi Syracusani

(l) Aldrov. l. c. p. 179.

Anaxilæ §. 2. *Anaxilas* similiter, Messeniorum Dux, postquam in Olympiis *mulabus* vicisset, epulo ob victoriam Græcis dato, Messanam reversus, nummos cum binis junctis *mulabus* signari jussit, quorum altera pars *leporem* continet. Is autem additus est propterea, quòd cùm Sicilia prius *lepores* non gigneret, *Anaxilas* eos primus à se importatos nutrierit. Depinguntur ab eodem *Golzio*. In priore *Anaxila* nummo *mularum* cursum flagello molienti victoria in aëre suspensa sertum impositura conspicitur ab uno latere, ab altero *lepus* ad cursum incitatus, & sub eo equus Neptuni in piscem cetumvé finiens, cum inscriptione: ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Eadem inscriptio legitur ab utraque parte alterius nummi, sed victoriæ icon deest, & sub *mulu* sunt duo delphini, & ab utraque parte depicta est apis mellis symbolum. Pingit denique & alium nummum, in quo una tantummodò *mula* bigam trahit, sub qua Jovis conspicitur fulmen, & ab altera parte sub *lepore* pecten cum literis: ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. Depingit *Æneas Vicus* in opere de *Ma-*

Liviæ *tronis Augustis*, *Livia* sive *Julia* (fuit enim in Juliorum familiam ab Augusto adoptata) nummum, in quo carpentum expressum est cum inscriptione: S. P. Q. R. JULIÆ AUGUST: Senatûs consulto enim Liviæ concessum, ut carpento veheretur, quod postmodum aliis Augustis Matronis, *Messalinæ*, *Agrippinæ*, *Domitillæ* filiæ Vespasiani, *Juliæ*

Titi,

Titi, *Faustinæ*, aliisque fuit permissum, ut ex omnium earum Matronarum excusis nummis patet. *Sebastianus Eritius* æneum monstrat nummum Nervæ Principis, in quo ab una parte *muli* conspiciuntur soluti libereque pascentes cum fasciculo hastarum aliorumvé telorum, atque, nî fallor, scutorum, cum literis: VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA S. C. Ab altera laureata Imperatoris effigies cum inscriptione: IMP. NERVA CÆSAR AUG. P. M. COS. III. P. P. *Constantinus Landus* in opere *de veterum numismatum explicatione miscellanea* scribit, sese hunc nummum vidisse apud *Tiberium Decianum* JC. clarissimum Foro Juliensem, cùm esset Patavii, ubi ille jus civile tùm docebat; se verò apud Dionem, qui ejus Imperatoris vitam descripsit, nihil hac de re legisse, nisi quòd equorum sustulerit cursus, quod tamen ad hanc rèm (ait) nil facit. Cursus enim illi equorum potuerunt esse ludi, vel aliud quid simile. Hoc autem de vehiculatione (quod tributum quoddam fortè fuit, quod pendebatur Principi, ùt est rhedarium,) id puto illud esse, quod *Julius Capitolinus* in Antonino Pio dicit inter cetera beneficia, quæ Reip. Romanæ contulit, illud fuisse, quod vehicularium cursum summâ benevolentiâ sublevavit. *Ælius Spartianus* in Adriano ait, Adrianum cursum fiscalem

Nervæ

inhibuisse. Sed an id hûc faciat, non satis liquet. Interim vide tu ipsum *Landium.* (m)

§. 3. Plautus urbanè viginti minas pro *asinis* acceptas vocat *asinos. Quî verberarem asinos; si fortè occœperint clamare hinc ex crumina.* (n) *Nunc amico homini bobus domitis mea ex cramena largiar.* (o) *Minas oves in crumena hac in urbem detuli.* (p) In muséo *D. Ambrosii Rhodii*, Kembergensis Saxonis, tunc verò Prof. Regii in Gymnas. Christian. apud Norwagos, vidi nummum argenteum, (Schaupfenning) in cujus altero latere *asinus laureatus*, pede anteriori sinistro tenens citharam, dextro autem pulsans eandem, cum lemmate: ASINORUM OMNIA PLENA. In altero latere sedebat Virgo corollam contexens ex urticis & stipula cum epigraphe: VÆCORDI NEXA CORONA.

nummus D. Rhodii

Ein alter Esel stirbt / jedoch wem kan es frommen?
Weil gleich aus seinem Aas zehn Junge wieder kommen.

Prudenti pauca!

(m) apud Aldrov. l. c. pag. jam dicta. (n) Asin. a. III. sc. 2. v. 44. (o) Pers. a. II. sc. 3. v. 13. (p) Trucul. a. III. sc. 1. v. 10.

CAP.

CAPUT V.
DE USU ASINI IN PICTURIS ET STATUIS.

§. I.

IN monasterio quodam reformato elegantem *calumniæ* imaginem abs *Apelle* dudum expressam cœnaculo appictam vidi. Midas grandibus patulisque *auribus asininis* manum procul venienti *calumniæ* prætendens, cujus latera duæ claudebant mulieres, unum *ignorantia*, alterum *suspicio*. Ad quem deinde accedebat mulier satis formosa, avida & irrita, veluti rabiem & iram præ se ferens, *calumnia* scilicet, lævâ tenebat *facem ardentem*, dextrâ *juvenem* in cœlum suspicientem, Deosque suæ innocentiæ testes invocantem, capillis trahebat. Eam anteibat Vir pallidus, deformis, acutùm intuens, iisque non absimilis, qui longo morbo contabuerunt, *livor* dictus; comitabantur præterea aliæ duæ mulieres hortantes, componentes, & ornantes *calumniam*, quarum altera *insidiæ*, altera *fallacia* erat. Demum à tergo *pœnitentia* sequebatur, mulier lugubri habitu, pullâ laceraque veste, quæ versa in tergum facie cum lachrymis & pudore *veritatem* accedentem obtuebatur. Lemma adjectum erat: *Invidiam spero haud sperno.* Picturam hanc bellè expo- imago calumniæ

 suit

fuit in peculiari libello *Joannes Möller*, è monte Gryphorum, J.U.C. (q)

Papæ fabula §. 2. In alio sedebat Papa triplici coronâ cinctus, dextrâ tenens baculum pastoralem. Insilierant in gremium ejus purpurâ & infulis conspicui, omnes verò *auriti*. A tergo stabat monachus fustiger, cum epigraphe: *Meruit dementia pœnas*. Alia manus carbone parieti inscripserat; *Tu autem time Dominum, & venerare Sacerdotem!* (r) Ceterùm nota est fabula de *asino* & catulo, quorum ille videns amanter amplecti Patremfamilias huncce, idem & ipse sperans, si pariter assultaret Domino suo, eventurum sibi, in gremium ejus se infert, abblandiens hero. At hic ineptias & stultitiam fustibus correxit. Noli invitis obtrudere officia tua, neque affectes ea, quæ natura negavit.

avari emblema §. 3. Monachi vitulantes *avaritiam* Prælati sui vivis coloribus depicturi, illinunt foribus templi *asinum* in roseto stantem, qui tamen è parvuli manu urticis & carduis vescebatur. Optimè profectò *asino* comparatur *avarus*. Inde *Alciatus*:

Septitius populos inter ditissimus omnes,
arva senex nullus quò magis ampla tenet.
Defraudans geniumque suum mensasque paratas,
nil præter betas duraque rapa vorat.

Cui

(q) edit. Stettin. 1648. in 8. (r) Syr. VII. 33.

Cui similem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
anne asino? *sic est: instar hic ejus habet.*
Namque asinus *dorso pretiosa opsonia gestat,*
seque rubo aut durâ carice pauper alit.

Recitat *Lucianus* decretum apud inferos ex *Calvarii* dicto, ut animæ divitum, quæ rursus in vitam remittendæ essent, in *asinos* demigrarent, donec in tali rerum statu, ad multa annorum millia *asini* ex his *asinis* renati onera ferrent, & insuper à pauperibus agitarentur. Quærimus in schola Ethicorum: *an prodigus sit melior avaro?* Aristoteles utique (s) simpliciter & rotundè ait: ἀνελευθερία μεῖζον ἐςὶ κακὸν τῆς ἀσωτίας: avaritia (comparatè) majus malum est, quàm prodigalitas. (t) Vocatur ab Aristotele *avarus* ἄδικ☉, à Christo autem ἄφρων. (u) *Cui cum paupertate bene convenit, dives est.* (w) Mancher ist arm bey grossem Guth und mancher ist reich bey seiner Armuth. (x)

Quisnam igitur sanus? qui non stultus: quid avarus?
stultus & insanus: *quid? si quis non sit* avarus,
continuò sanus. - - - - (y)

I 4 *Danda*

(s) L. IV. Ethic. Nicom. c. 3. (t) Vid. M. Joh. Gottwaldi disp. ethic. μελέτημα XIV. quæst. ult. (u) Luc. XII. 20. (w) Senec. epist 4. (x) Prov. XIII. v. 7. (y) Horat. L. II. serm. sat. 3.

Danda ergò ellebori multò pars maxima avaris. (z)

Triumfus asini §. 4. Vidimus *Hamburgi* in muséo amici varias inter picturas *asinum* curru triumfali vectum à *simiis* grandioribus. Dextrâ gerebat sceptrum, læva fasciculum ex flosculis elegantissimis contextum, quem naribus admovebat. In sinu ejus cubabat catellus melitæus, cum inscriptione: SIC SECULUM EST. Eja canis digna sede! uti sexus sequior catellis melitæis majorem aliquando exhibet honorem, quàm ipsis maritis, & plus impendit curarum in educatione canum quàm liberorum: (a) ita hodie plerunque indignis conferuntur honores, quod verò idem est, ac si in acervum Mercurii lapidem mitteres. (b) Nam gloriam sapiens possidet, stultorum exaltatio ignominiosa. (c) Non est certius agonizantis Reip. signum, quàm bonorum malorumque mistura. (d) Is verò præclarus populi gubernator, qui operam dat, ὅπως οἱ βέλτισοι τὰς τιμὰς ἔχωσιν. (e) Similem ferè pompam exhibuit Rex *Bingalæ*, qui ad Regem *Mogorum*, in alicujus accepti beneficii recognitionem, solennem cum pretiosissimis muneribus adornatam legationem expediebat anno 1660. in qua maximè mirabilis currus triumfalis aurô atque omni gemmarum lapidum-

& canis splendidissimus

(z) idem l. c. (a) Conf. Stuck L. II. antiquit. conviv. c. 5. p. 48. (b) Prov. XXVI. v. 8. (c) Prov. III. v. 35. (d) Laërt. L. VI. p. 349. (e) Isocrat. ad Nicocl.

dumque pretiosorum genere refulgens, non humana, sed belluina directione utebatur. Tractus nempe currus à duobus candidissimis, & perquàm mirificè adornatis *caballis.* In superiori currûs loco, velut in solio regio, ingens sedebat *molossus*, pretiosis phaleris monilibusque pulcrè adornatus, qui uti sese tanto splendore fulgentem aspiciebat, ita quoque superbiâ quadam elatus aliquid se supra belluinum esse putare credebatur, siquidem incredibili gravitate Proceribus obviis debitam profundâ capitis inclinatione reverentiam exhibebat: non deerat huic satellitium splendidum. *Simii* enim superbè vestiti thronum, epheborum adinstar, circumdabant, ad nutum Domini promtissimi; quicquid enim *caninum* Regem facere in reverentiam obviis præstanda videbant, id omnes unanimi capitis inclinatione pariter præstabant. Aurigam agebat *grandis simia*, aureâ chlamide indutus, cujus pileolus capiti impositus auro pariter gemmisque fulgebat: manu sinistrâ freni lorum tenebat, alterâ scutica tàm dextrè suos regebat caballos, ut non à bruto, sed à peritissimo veredario agitari viderentur. Verbo: humanæ belluæ triumfum adeò scitè adumbrabant, ut quid homines belluinos deceret, belluæ humanæ mirâ quadam metamorphosi docere viderentur. Quanta autem ex hoc mirifico spectaculo Rex voluptate perfusus fuerit,

 inde

inde patet, quòd brutorum solertiam opiparo, veriùs belluino, convivio recompensandum duxerit, dum quid equis, quid simiis, quid molosso ex optimis cibis unicuique congruebat, in pavimento tapetibus exornato apposuit, ubi pari gravitate, jam ad omnia prius instructi, sedentes; quisque suo contentus pabulo delitiabatur. (f) Sic seculum est! cujus perversissimos mores ex *Plauti Trinumno* (g) & *B. Rhenano* latiùs deducit *Bernegger*. (h) E tripode *Seneca*: (i) *hoc Majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi.* Verbo: *Candor in hoc aevo res intermortua penè.* (k)

asinus Argentinensis §. 5. Argentorati in primario templo, è regione cathedræ, à trecentis ferè annis, *asinus* saxo incisus servatus est, qui coram altari Missam celebrat, à tergo alius stat *asinus*, & quidem sine ore, librum cum fele tenens. (l) In horologio Prælati istius *Amelunxbornensis* ad horam nonam etiam *asinus* reperitur. (m)

Achanta §. 6. In urbe *Achanta* trans Nilum Libyam versùs, centum & quinquaginta stadiis à Mem-

(f) vid. D. Tilingii præfation. ad lector. Rhabarbarolog. p. 16. seq. (g) a. IV. sc. 3. v. 25. (h) quæst. miscell ex Tacit. num. 107. (i) L. I. de benefic. c. 10. (k) Ovid. L. II. Pont eleg. 5. (l) D. Walter in Postill mystico-Physic. Dom. I. Advent. pag. 20. (m) Zeitkürtzende Lust P. II. them. 148. pag. 855.

Memphi, *asinus* conspicitur pictus. (n) *Nealces*, dicente *Plinio*, (o) *asellum* pinxit in littore bibentem, & crocodilum ei insidentem. Denotat Persas, vincentes ibi Ægyptios. *Polygnotus* excidium Trojanum delineaturus, pinxit puerum *asello* insidentem, cujus dorso cistam & alia impedimenta servi imponunt, ut est apud *Pausaniam*. Vercellis in cœmeterio *statua asini* conspicitur cum epitaphio, à vetustate tamen attrito. Naupliæ *lapideus asinus* gratæ posteritatis memoriæ dedicatus est. (p)

Nealces

excidium Trojanum

statua asini,

§. 7. Veteres virum frugi & mulierem prodigam delineaturi hominem pinxêre funiculum torquentem, feminam verò *asellæ* effigie assidentem à tergo, & opus, quantumcunque fieret, abrodentem. Hoc est *Ocni funem* torquere. Inde *Alciatus*:

Ocni funem torquere

Impiger haud cessat funem contexere Sparto,
humidaq; artifici jungere fila manu.
Sed quantum multis vix torquet strenuus horis,
protinus ignavi ventris asella *vorat.*
Femina, iners animal, facilè concessa marito
lucra rapit, mundum prodigit inq; suum.

(n) Diod. Sicul. L. III. c. 6. (o) L. XXXV. cap. 11. (p) Jonston. Thaumat. nat. Class. VII. cap. 2. pag. 292.

※ (o) ※

CAPUT. VI.
DE FAUSTO ASINI OCCURSU.

§. 1.

CÆsari Augusto cum Antonio ad Actium dimicaturo, cùm nondum tenebris planè sublatis ex tentorio egressus circùm naves ambularet, quidam *asiniga*, vel potius *asiniga* occurrisse dicitur. Rogatus quis esset, respondit: sibi *Eutycho*, *asino* autem *Niconi* nomen esse. Gavisus Cæsar de bono omine. *Eutychus* quippe *fortunatus* est, & *Nico vincens*, ibique æreum *asinum* hominemque posuit, dicente *Plutarcho*. (q) Cùm C. *Marius* in Minturnensium custodia delitescens notasset, *asellum* oblatum sibi pabulum respuere, & ad aquam festinare, ex hoc salutis sibi viam ostensam conjecit. (r) Rectè igitur *Passeratius*: *non latius feliciusque augurium* asini occursû, *ùt tritus Aristophanis sermo declarat*, ὄνῳ ὄρνις. *Testis ille qui C. Mario in summa rerum desperatione spem salutis ostendit, cùm esset Minturnis in Fanniæ custodia. Testis & alter, cum* Eutycho *agasone literarum monumentis nobilitatus* Nicon, *qui Augusto in aciem descendenti obviam factus, certam ei de M. Antonio victoriam portendit.*

Asinus Nicon,

C. Marii

§. 2. Pe-

(q) In Antonio, (r) Val. Max. L. I. c. 5.

§. 2. *Petrus Visselbeccius*, monachus familiæ Benedictinæ, (s) omnia templorum Hüxariensium recensens ita fatur: *Vt* noctua *S. Chiliano, sic S. Petro* corvus, *&* columba *ominosa, & S. Nicolao* formica. *Cùm enim fines templi* Petrini *circumscriberentur, duas in area ista invenerunt* columbas *cum* corvo *praliantes, eumq; vincentes. Primum verò apud* S. Nicolaum *omen erant* formicæ, *in acervo suo maximè sedula & operantes.* Et *cùm primum lapidem templi* Minorum Fratrum *jamjam ponere vellent, occurrit* asinus *ad muros pabulans.* Inde Versus : omina templorum Hüxariæ

Noctua *te*, Chiliane, *facit semper vigilantem*,
candidus *&* purus Petrus *ùt formosa* columba,
qua gerit impuro cum corvo *prœlia victrix*;
Formica *aßidui Pastorum emblema laboris*;
Fratribus *ast* asinus *pracepta* Minoribus *hac dat* :
omnia fortiter ut tolerent onera ac patienter.
Noctua, formica, *atque* asinus, corvusque columba,
Templorum, *Hüxoria*, *hac sunt ornamenta tuorum.*

§. 3. Pro vero mihi relatum est, Prælatum quendam ætate jam gravem è vicino pago equo timidiusculo vectum ad suum properasse cœnobium. Obvium habebat molitorem Abbas ab equo in asinū lapsus,

(s) in chron. Hüxar, ad annum 1256.

rem cum tribus *asinis*, frumenta in molam portantibus. Qui cùm propiùs accederet auritis fructiferis, equus præ timore ex angusta semita, quam hactenus placidè calcarat, devians desilit ad dextram, excusso ex ephippio Prælato. Qui tamen super saccum dorso *asini* impositum lapsus, nihil inde percepit damni. Patiens animal pondus fortè sentiens auctum, substitit. At cùm oneri utrique ferendo impar foret, pedes insequi jussus est Abbas fugientem ad præsepe suum caballum. Tunc molitor nequam subridens; Here/ ajebat, use leve Frouw hefft juw miner syle lev / dat y so künstelick vam Guhl up minen Klepper fallet; gaht na huß/ und bet et en Rosenkrantz. *Domine, amat sanè Te B. V., quòd tàm artificiosè ab equo in* asinum *lapsus sis. Vade domum, & recita rosarium tuum.*

gigantes clamore asini dissipati,

§. 4. In Gigantum adversus Deos pugna, inclinata jam Deorum acie, rudens *Sileni asinus* rem restituit, terribilique & stentoreo stridore perterritos Titanas in fugam vertit, Jovique plus in *asini voce* præsidii, quàm in Ægide & fulmine fuit. Idcircò parta constitutaque victoria, Jupiter tam bene de se & de Dîs omnibus meritum *asinum* inter sidera collocavit. Hinc *Philippus Melanthon*:

Impia cùm ruerent Titanes in arma furentes,
conati ætherias perfodere ense domos.

Jup-

Juppiter ac patriis depelleret arcibus hostes,
his tamen incussus nec pavor inde foret:
Mentitis imitans Pan Ægocerata figuris,
terruit hâc specie grandia monstra truci.
Sed neq; tunc fracti bello cessere Gigantes,
Bacche tuus vector donec asellus *abest.*
Ille rudens rauco dum classica personat ore,
angvipedes turpi dant sua terga fugæ.
Haud secus Autolyci callentes furta Sophistæ,
dicentes verò crimina multa Deo.
Terribili fugiunt asini *clamore repressi;*
bella ματαιολόγων *exitus hic sequitur.*

§. 5. Narravit mihi *Eresbergæ* ad Dimolam *Georgius Kramler*, cùm femina quædam in periculosa partûs difficultate, ob viarum angustiam, miserè constituta jam fere desperasset, à *ruditu asinino* territa quidem, sic tamen, ut eapse hora puellam effuderit mortuam. Religiosus ad Visurgim amicus superiori bello germanico per vastissimam sylvam Sollingensem ad suos properaturus, non semel à recta aberrarat via. Cùm igitur vicinia ista tunc minùs erat tuta, ob prædantis militis insolentiam, majoresque nunc caderent altis de montibus umbræ, trepidans, quid agendum, seu quò eundum sit, prorsus ignorabat. Dubius ergò longè lateque circumspiciens in ipso crepusculo fortè videt in campo aliquid lentè gradiens. Quod, cùm propiùs accederet, ex repetito *ruditu* penitius cognovit. Gaudii bonæque spei

asini usus in δυςοκία

est bonus hodogeta,

plenus

plenus è vestigio insequitur *asinum*, absque eo ad molam in profundiori valle strepentem deductus. Ibi ab hospite audivit, varia isto die eo in loco, quem percurrerat, facta latrocinia cædemque, ut Deo & *asino* ipse salutem suam acceptam retulerit. Abiturus in aurora, hoc memoriale parieti inscripsit:

Eh' ich verderben solt' auf unbekandten
 Steigen/
so must' ein Esel auch den rechten Pfad
 mir zeigen.
Daß ich nunmehr gesund zun Meinen
 kommen kan/
daß hat der Höchste durch diß liebe Thier
 gethan.

servator Avi — Avus meus maternus *M. Franciscus* Himmel/ Ecclesiastes tunc Milanus, Crucisburgô aliquendo ad parochiam suam reversurus densissima nocte, in Vierram se præcipitasset, nisi jam in margine fluvii catellus pedissequus cubantes *asinos* ibi latratu suo excitasset, sicque ab iis in viam reductus, exque præsentissimo vitæ discrimine redemtus esset. Ita Dei nutu omnia ducuntur. (t) Filius ejus

& Matrui mei — *M. Henricus* Himmel/ etiam Pastor Milanus, concionem aliquando matutinam habiturus *Lutterbachi*, qui pagus suæ parochiæ annexus erat, cum jamjam ingredi vellet templum, duo ante fores *asini* stantes nolentesq; viam dare introeunti, fecere, ut dextrorsum amba-

gem

(t) Plaut. Merc. a. II. sc. 2. v. 51.

gem quæreret ille, quò commodè intraret. Quod dum fieret, ecce! à vehementissimo vento aliquot saxa tectô dejecta bina ista animalia maximè lædebant. Certè si rectâ ille pertexisset, oppressus fuisset à saxis.

§. 6. *Alexander* Macedo sorte monitus, ut eum, qui sibi portâ egresso primus occurrisset, interfici juberet, *asinarium* fortè ante omnes obviam factum ad mortem abripi imperavit. Eo autem quærente, quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret, cùm ad excusandum factum oraculi præceptum retulisset; *asinarius*, si ita est, inquit, Rex, alium sors huic morti destinavit. Nam *asellus*, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus Alexander callido hominis responso, & quòd ab errore ipse revocatus esset, occasionem in viliore animali expiandæ religionis rapuit. (u) & asinarii

CAPVT VII.

DE INFAUSTO ASINI OCCURSU.

§. 1.

CUm *Oltmannus* Comes, notante *Abbone* Oltm. Comes Olsburg

K *Dalemio*

(u) Val. Max. L. VII. c. 3. ext. num. 1.

Dalemio (w) cum *Rodolfo* de *Mandare* ex Stideren Stederbergum equitare vellet, obviant ante portam duo *asini*, qui ſtatim, ob conſpectum generoſum ferocemque *Oltmanni* equum, fortiùs rudunt: à quo clamore equus *Oltmanni* in ſublime ſaliens bonum *Oltmannum* in ſtagnum unda plenum præcipitavit, & vix ſemianimis à famulis eductus, poſthac per totam vitam ſuam, quoties *aſinum* vidit, ſubitò oravit: *De profundis ad Te, Domine, clamavi &c.* *Oltmannum* iſtum fuiſſe Comitem *Olsburgicum*, ex Hamelmanno (x) didici. Hic habuit arcem, *Stitter* dictam. *Olsburgum* pagus, & Comitatus ejusdem nominis, ſub Præfectura *Lichtenbergica* erat, in vicinia Præfecturæ *Steinburgenſis*, & *Oltmannus*, ultimus gentis ſuæ, qui ſub Henrico II. Imp. & Antiſtite Hildeſienſi *Berwardo* non tantùm caſtrum *Stederburgenſe* (quod laudatus Henricus in privilegiis cœnobio datis, modò *oppidum*, modò *urbem* vocat,) in monaſterium amplum convertit, eique primam Abbatiſſam dedit unicam filiam *Frederundam*, cum matre ejus *Hedewige*, nata ex Comitum Palatinorum familia, in eo ſepultam, ſed etiam *Olsburgi* duo condidit Collegia, alterum pro religioſis, & alterum pro ſecularibus, quorum bona diſſipata & translata ſunt in bello iſto decennali, quod ſenior *Ericus* Brunſvicenſis,

(w) in chron. MS. Groningenſ. (x) de famil. emort.

censis, ejusque ex fratre nepos *Henricus* junior, cum Præsule Hildesiensi gesserunt. Conditus *Oltmannus* in templo *Olsburgico.* Paruêre ei multi pagi, quorum alii transiêre ad Præfecturam *Giesbornensem*, alii ad *Liechtenbergensem* & *Gervershagianam.* Ministeriales verò à *Mandern* in vetustis documentis vocantur *Domicelli.* Est subarce *Leuenburgica* pagus *Mandare*, sed an ibi sedem suam habuerint, ignoro.

§. 2. Feminam novi, quæ ex insperato *asini occursu* abortum passa est. Mater mea, intacta adhuc virgo, ex eodem *menses* habuit occlusos, sequente molestissima cordis palpitatione, generosissimis remediis vix cedente. Pastor *Derenthalensis* indiluculo iturus *Fürstenbergam*, obviam habuit *duos asinos* terribiliter rudentes, mox *leporem*, per semitam, quam trivit ille, currentem, tandem *anum* decrepitam. Ex hujus fædo torvoque adspectu territus sinistra auguratus omina. Interim perrexit ille, quò erat eundum. Circa horam duodecimam meridianam febre correptus, quæ tandem in *quartanam* degenerans, omnibus frustra adhibitis, solo cataplasmate ex *stercore asinino*, & *urina* alicujus *anus*, svadente alia vetulâ, immixtis *pilis leporinis*, minutim incisis, eôque plantis pedum ante paroxysmum applicato, sumtisque simul guttis decem spiritus vitrioli in aqua florum sambuci, feliciter pulsa est.

abortus
menses suppressi

& quartana ex occursu asini

§. 3. Retulit mihi Hafniæ Danorum *Christophorus BeerWald*, J. U. Cand., sein pueritia sua nunquam sine *vertigine* adspexisse *asinum*. Febri postea malignâ extinctus Lutetiæ Parisiorum candidus amicus, hoc à me promeruit epicedium:

& vertigo

Sylvestrem tenui meditemur arundine Musam,
à febri viridis sylva *cremata jacet!*
Heu mihi, si possem lachrymis extinguere flammam,
ambabus manibus flumina quanta darem!
Castalios fontes affunderet ager Apollo,
adderet & lympham, turba novena suam.
Sed quid vana loquor? sua cuiq; incendia *restant,*
apportant tædas *cuncta* elementa *suas.* (y)

CAPUT VIII.
DE INSCRIPTIONIBUS ET EPITAPHIIS ASININIS.

§. 1.

Poliarchi luxuria

POliarchus Atheniensis eò luxuriæ pervenerat, ut *canes* etiam & *gallos*, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè, & amicos convocaret ad funus, splendideque eos sepeliret, atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphium illorum

(y) C. II. epigramm. m. 47.

illorum insculpserat ipse. (z) Ita *Cipolus* Monachus *asino* suo *Ponocrati* orationem funebrem dixit, interprete *Guilielmo Cantero*, quam elegantissimo carmine reddidit *Jacobus Eyndius ab Hæmstede* Zelandus. (a) P. Crassus hanc inscriptionem posuit *mulæ* suæ.

DIS PEDIBUS SAXUM
CIVCIÆ DORSIFERÆ ET CLUNIFERÆ
UT INSULTARÆ ET DESULTARÆ
COMMODETUR PUBL. CRASSUS MULÆ
SUÆ CRASSÆ BENE FERENTI
SUPPEDANEUM HOC CUM RISU POS.
VIXIT ANN. XI.

inscriptio mulæ

Inscriptum hoc erat suppedaneo cuidam in agro Tiburtino, ubi *Thomas Porcarchius* sese reperisse tradit. (b)

§. 2. *Andreas Tscherning*, Professor Rostochiensis, Poëta nitidissimus, (c) *asinum* loquentem ita sistit:

asinus loquens

Ein Theil von mir trägt Midas ihm zur Schande/
als keiner hat im gantzen Phrygier Lande;

K 3 Mein

(z) Ælian. L. VIII. H. V. c. 4. (a) in Amphitheatro Dornav. T. I. p. 495. seqq. (b) Aldrov. l. c. p. 178.
(c) im teutscher Gedichte Frühling p. 71.

Mein Schatte bloß hat einen Zanck erregt/
Ich bin ein Fluch/ muß leyden/ wer mich schlägt.
Mein Herz ist offt viel klüger nicht gebohren/
als ich wohl bin. Wer trägt nicht meiner Ohren?
Du Künste-Fürst/ O Phöbus/ komm herzu/
und nimm mich auch/ Priapus oder du;
Bin ich zu grob zu allem Thun und Wesen/
wie daß mich denn gelehrtes Volck zu lesen
auf Bücher setzt/ mit mir die Schrifften ziert?
bin ich zu laß/ wie daß man so handthiert
mit meiner Haut? bin ich ein Spott der Erden/
kan nie kein Mensch durch mich geehret werden/
wie hat mich Rom so würdig dann geschätzt/
daß eben Sie mir eine Säule setzt? (d)

Epitaph. §. 3. Extat adhuc hodie *epitaphium mulæ* Florentinæ in aula *Pittorum*, quæ nunc Magnorum Ducum est, sed sine lepore:

Lecticam, lapides, & marmora, ligna, columnas,
vexit, conduxit, traxit, & illa tulit. (e)

In

(d) vid. hieroglyph. Pierii (e) Aldrov. l. a.

In vituli & *asellæ* tumulum *Joann. Lauterbach* Lusatus ita: aliud

Ante diem vitulus cum conjuge raptus asella;
non potuit fieri hic taurus, & illa asina.

Paulus Spatenmaker asino suo posuit hoc: aliud

Scire cupis, quinam in fovea sit conditus ista?
dixero: Christophorus, cistophorusq; *meus*.

Alius in alium: aliud

Nu ruhe/ Philopon, du bist der müh' entbunden/
der strengsten Dienstbarkeit/ so du bißher empfunden/
es hilfft dir niemand doch aus aller deiner Noth/
als (sag' ihm Danck davor) dein bester Freund/ der Tod.

Et rursus alius in suum: aliud

INTER PLAGAS ET ONERA,
FAMEM INTER ET VERBERA,
TANDEM DEFECI.
AT BONI PUBLICI STUDIOSUS
ETIAM POST FATA
PRODESSE ET DELECTARE
CUPIO.
ASINUS QUIPPE OMNIS
AD USUM ET LUSUM,
DEI ET NATURÆ OPUS MIRABILE.

aliud Alius sic:

Multa tulit, fecitque diu, sudavit, & alsit,
nunc requiem misero Tute precare, & abi!
Ein Esel wird nicht eh' ein gutes Stünd-
lein kriegen/
man sehe denn ihn auf dem Schinder-
Rasen liegen.

P. Gregorius, ex ordine Minorum monachus, *asino* suo familiari, cum quo in provincia conquisiverat victum, eumque *traggern* vocarat, hoc reliquit:

aliud VADITQUE CADITQUE SUB UMBRAS
ΟΝΟΣ ΚΑΙ ΠΟΝΟΣ,
OPTIMUS INTER VICINIÆ BONOS,
ET CONVENTUS NOSTRI HONOS,
NUNC FLEBILE ONUS.
AT FUNCTUS EST, DUM POTUIT,
OFFICIO,
LABORE ET CONSTANTIA
LUBENS PORTANS ONERA.
SEQUIMINI, FRATRES, DEFUNCTUM,
ET, SI VULTIS ALIQUID ESSE,
CORAM DEO ET HOMINIBUS,
UT

UT GENVINI SITIS ASINARII,
OPTO MONEOQVE.

Alius *asello*, à serpente inter pabulandum morso, hoc fecit: aliud

OPTIMÆ SPEI
ET
PRÆCLARÆ INDOLIS
ASELLO,
ANTE DUOS MENSES NATO,
HODIE, OB MORSUM ANQUINEUM,
MISERRIME DENATO,
MOESTAM QUERELAM DEBUIT,
QUI VOLUIT,
LINQUERE.
SI VIS AMBULARE FELICITER,
SCIAS VELIM,
PRUDENTE DIFFIDENTIA NIHIL FORE UTILIUS,
NUSQUAM ENIM TUTA FIDES,
SED UBIQUE LATET ANGUIS IN HERBA.
CREDE, ET VIVES!

Vide sîs epitaphium *mulæ* à Domino positum apud *Francisci*. (f) *Canterus* Lugduni Batavorum edidit orationes funebres *equi*, *canis*, *felis*, *simii &c.* lectû sanè dignas, quas, si vacat & lubet, lege. (g) alia

(f) Monaths-Gespräch Novemb. (g) Adde Dornav. l. c. Taubmann. in Culic. Virgil. p. 146. seq. Cynograph. m. S. II, membr. 2. P. I. c. 9. p. 104.

CAPUT IX.
DE PRODIGIIS ET OSTENTIS ASININIS.

§. 1.

asinus loquens

INter prodigia est *asinus* humanâ voce loquens ante bellum civile anno 1243. Cùm reliquiæ *S. Stephani* Proto Martyris N. T. è Solyma *Chalcedonem* veherentur, comitante Clero populoque, nec non *Metrophane*, Episcopo urbis, & jam Byzantium usque delatæ essent, *mulæ* subsistebant, nec verberibus propelli poterant. Una ex iis, *quousque homines, ait, laboratis, oportet hîc sanctum deponi*: Eôpse locô Constantinus M. templum condidit. (h)

mulus veneratur hostiam

Disputabat *D. Antonius* Ulyssiponnensis cum hæretico de veritate S. Eucharistiæ. Eja, dixit hic, si *mulus* meus oblatam sibi hostiam consecratam venerabitur, fidem dabo assertionibus tuis. Adducitur jumentum famelicum, jubeturque abs *Antonio*, ut creatori suo in hostia verè existenti reverentiam pro sua bestialitate exhibeat. *Mulus* mox accedens genua in terram demittit, capite flexo. Obstupuit hæreticus, fidem amplexans catholicam. (i)

& equi,

Anno 1334. sedente *Alberto* II. Episcopo Halberstadensi, Duce Brunsvicensi & Lyneburgensi, sacrilegus quidam septem hostias consecratas è templo *Suanenbeccensi* furtim

(h) Aldrov. l. c. p. 176. (i) Idem loco jam cit.

tim abstulisse dicitur. Mox autem facti pœnitentiâ ductus & veritus, ne hoc facinus vicinis innotesceret, defodit eas cum pyxide in agrum & discedit. Accidit fortè, ut agricola Svanenbeccensis cum equis suis locum istum præteriret. Quid fit? concidunt bestiæ quasi attonitæ flexis in terram genibus. Stupet colonus, vociferatur, cædit, & quid singula? vocantur Vicini: quid agendum hîc, disceptatur. Alii veneficium, alii τὸ θεῖον subesse credebant, & sua cuique sententia pulcra. Tandem, egestâ humo, reperiunt pyxidem cum hostiis, hærentes, quid nunc agendum sit? res nunciatur parocho, Archi-Diacono, *VVernero à VVansleben*, ipsi Antistiti *Alberto*, qui statim magnâ reverentiâ hostias tolli, & cum solenni processione Cleri populique in parochiale templum, donec in isto loco aliud erectum fuerit, deferri jussit. Consecratum hoc abs *Alberto* anno 1334. (k) In dorso summi altaris historiam hanc sequentibus distichis comprênsam legi.

Bestia si quondam Balaami est ore locuta,
ipsam cùm genius terruit ense minax.
Poplite nil mirum flexo sub imagine Christum
quòd farris noscant & venerentur equi.
Scilicet ingenti factum hoc discrimine distat
præsens: hîc Deus est, est ibi plasma Dei.
I nunc, & Numen spoliato brutus honore,
ut sis brutorum conditione minor.

(k) vid. Cl. Budæi hist. Albert. II. p. 103. seqq.

ALBERTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOP. HALBERSTAD., DUX BR. ET LUNEBURG. ANNO MCCCXXXIV.

Zoſima §. 2. Tendebat *Zoſima* Cæſaream cum *aſino* ſuo, quem verò leo in via vorabat. Qui tamen poſtea, exutâ omni feritate, ſarcinas *Zoſimæ* usque ad Cæſareæ portas tulit reverſus in ſylvam. (1) Obſidione cinxerat Darius Babylonem. At cives è propugnaculis ſuis probra evomuêre in Regem ejusque militem, dicentes: *quid iſtic deſidetis, Perſæ, quin potius diſcedite, tunc expugnaturi nos, cùm* mula *pepererit*. Diu fruſtra tentatis omnibus, ecce *Zopyri mula* peperit. Qui inſolentiæ civium memor, naſo & auribus ſponte ſibi abſciſſis, transfugam ſimulans, urbem Dario tradidit. C. Valerio & M. Herennio COSS. cùm *mula* in Apulia peperiſſet, totum annum domi foriſque tranquillum fuiſſe cognovimus, ſiniſtra tamen quædam obnunciata. At inter Cæſarem & Pompejum exorta bella *mulâ* partu edito, L. Paulo & M. Marcello COSS., multi prodiderunt. Cumque alia *mula* ad XII. portas Romæ peperiſſet, M. Lepidio, Munatio Planca COSS., ſubſecutæ ſunt nonnullæ ſociorum direptiones, dum bella per Brutum & Caſſium in provinciis gererentur. At nil quicquam tale evenit L. Scipione, J. Lælio COSS., cùm itentidem *mula*

mula pariens

Reate

(1) Aldrov. l. c. p. 156. B.

Reate peperisset. (m) Quæ verò de Hugonis, Cluniacensis Abbatis, *mulo volante* garriunt otiosi, nolumus recoquere. (n) Ejusdem furfuris fabella de *mulo* ex hiatu, è *terræ motu* orto, & ad mille passus patente, prodeunte, omni ex parte incolumi. mulus volans è terra natus,

§. 3. Scribit *Autor Sanctorum Patrum vit.*, *S. Helenum* oneribus & labore itineris fessum *asinum*, per campos fortè vagantem, ad se vocasse. Qui ociùs veniens humeros languenti ultrò substravit, eumque cum sarcinis suis ad locum sibi destinatum portavit. Vectus *asino* venerat Ravennam *S. Germanus*, Antistes Altisiodorensis, ad Valentinianum & Placidiam. Sed dum mensæ jam assideret, *asinus* repente moritur. Jubet Placidia equum substitui, quem B. Germanus sprevit, dicens cadaveri *asinino*: *surge*, *revertemur ad hospitium*. Et bestia surrexit, Dominumque suum revexit, ut ex *Hieron. Rubeo* repetit *Aldrovandus*, (o) subnectens ex *Sophronio* hanc narratiunculam. In excelso monte, *Martes* vocato, propè mare mortuum, degunt anachoretæ, qui hortum colunt ad montis radicem. Quacunque hora volunt olera ex horto suo, *asinum* eò mittunt sine rectore, dicentes: *vade tu, & affer nobis olera.* Abiens ille capite ostium pulsat, onustusque ab hortulano, regreditur ad eremitas. Verùm senioribus tantùm

S. Helenus

S. Germanus

asinus fidus famulus

(m) vid. S. l. c. 3. §. 10. (n) Aldrov. l. a. (o) l. c. pag. 156.

tùm parere dicitur, non cuilibet. Spelunca *luporum* olim erat Abbatia *Stabulensis*. Cùm verò *S. Remaclus* in exstructione hujus cœnobii *asini* opera uteretur ad comportandos lapides, cæmentum &c. ipsum autem lupus devorasset, fulmine strinxit raptorem, eidemq; pro salutari pœnitentia labores injunxit *asininos*, quos etiam lubens sustinuit. (p)

S. Remacli

asinus è tribunali rudens

§. 4. In oppido Pistoriensi circa horam diei tertiam, spectantibus multis, *asinus* tribunal ascendens rugiit. *Terentius* scilicet humili genere natus in urbe, & pistor, ad vicem prœmii, quia peculatûs reum detulerat officium ex Præfecto, hanc eandem provinciam correctoris administrarat potestate. Eaque confidentiâ deinceps inquietius agitans multa in naviculariorum negotio falso admisisse convictus, ùt ferebatur, periit carnificis manû, regente Claudio Romam, ùt ex *Ammiano* (q) citat *Vorburgius*. (r) Cum *asinus* leonem eximiæ magnitudinis necasset, summi terroris omen edidit, necemque Alexandro portendisse scribit *Alexander ab Alexandro*. (s) Alium leonem Florentinis donatum *asinus* clitellatus calcibus ita defatigavit, ut tandem moreretur, quod pro prodigio habet sœpius, at nunquam satis laudatus *Aldrovandus*, (t) addens: tunc excidium fore Ecclesiæ, cùm animal

necat leonem

(p) Vid. Abrah. Saurs Städtebuch. (q) L. XXVII. c. 4. (r) Vol. II. Hist. p. 595. (s) L. V. c. 13. (t) l. c. pag. 147.

mal mansvetum regem suum occidisset. Alii torquent in summum Pontificem, à *Sciarra Colonna*, jussu Galliarum Regis, captum. (u) De nonnullis bonis Capuccinis testatur *Valerianus Magnus* in judicio de catholicorum regula credendi, (w) quod bruta quædam animalia (quorum animæ fortassis cum corporibus non simul perierunt) in levamen pauperum, ad vitam revocaverint, inter quæ etiam *asinus* fuit, qui repentino casu in via interierat. Sed nihil hoc est, si Germanum spectes, qui vitulo occiso, &c, cute ossibusque exceptis, jam devorato, nec non *asino* mortuo vitam restituit, uti legitur in *Passionali Sanctorum*. (x)

asinus in vitam revocatus,

§. 5. *Gerardus Atzen*, Prior in valle Joannitica extra urbem nostram, multas inter nugas, quas vendit loquacissimus, ait: *Devotus Carthusianus* P. Cyprianus *de passione Domini publicè concionabatur. Quærunt extra monasterium* a sini *pabulum suum, quorum unus vocem audiens R. P., intrat templum, & cum magna attentione audit eum. Finitis sacris cum ingenti* ruditu *exit ad socios suos.* Idem Pater *passeres*, inter Missam in tecto pipentes stridentesque petulanter, solis his verbis fugavit: *Ite, & nunquam, nisi vocati, revertimini. Hoc ego dico vobis in nomine P. & F. & Sp. S.* Probissima anima erat & eximius declamator, votorumque

asinus devotus

miraculum Carthusiani

(u) Idem l. 2. (w) pag. 298. seqq. (x) Part. æstiv. impress. Reutling. 1482. in vit. dicti Sancti.

que suorum monasticorum rigidissimus cultor. Hæc ille. Ita cum *hirundines* magnis garritibus perstrepentes *S. Franciscum* perturbarent, ita allocutus est: *Sorores meæ hirundines, jam tempus est, ut loquar, cessate vos, donec sermo Domini compleatur.* statim tacuerunt aves, & omnes stupore repletæ. (y) Et rursus: (z) *Franciscus salutabat aves, vocat fratres, & jubet audire verbum Domini. Tunc aves mirabili modo gestientes cœperunt extendere colla, aperire rostra, & in ipsum attentè respicere. Post prædicationem* Franciscus *ivit per medium illarum. Tunc dedit eis licentiam, & volitârunt cum magno clamore divisæ ad quatuor mundi partes, significantes*: Francisci regulam in omnem terram divulgandam. De *Beda* scribit *Durandus*, (a) quòd, cùm præ nimia senectute oculi ejus caligarent, fecerit se duci per villas & castra, ubique verbum Dei prædicando; cumque quadam vice per quandam vallem, magnis lapidibus plenam, transiret, & quidam ex ductoribus derisoriè ei diceret, quòd ibi esset magnus populus congregatus, expectans ejus prædicationem. Tunc incepit ille prædicare ferventer, & cùm in fine conclusisset: *per omnia secula seculorum*; mox omnes lapides altâ voce clamasse dicuntur: *Amen, Venerabilis Pater, amen.* Et ideò adhuc vocatur *Venerabilis Beda.*

S. Francisci, & Bedæ,

§. 6. Hoc

(y) lib. conformitat. S. Francisc. f. 112. (z) f. 114. (a) L. VII. ration. div. offic. c. 40. f. 280.

§. 6. Hoc equidem verum est, bestias aliquando modestis gestibus externis, &, si ita loqui fas sit, devotis in ruborem dedisse homines. (b) Denique cùm ob votorum suorum observantiam *Gerardus* Carthusianum commendet, facetæ recordor historiolæ, quam *Gregorio VVittehenne* debeo. (c) Laicus frater *Nicolaus*, ait, der schwarte Broder Clauß von Geismar / ad vicinum Ministerialem cum *asino* suo ambulans, ut victualia Conventui adveheret, vocatur ob facetias suas ad prandium. Rogatus inter alia: quid sibi vellent *tres isti in fune*, quô cinctus erat, *nodi?* magna cum reverentia dixit: sunt *mysteria ordinis* nostri. *Superior*, qui purus, *obedientiæ* character est, *medius*, qui adhuc etiam tolerabilis, *paupertatis*, *infimus*, qui pependit in luto, *castitatis* nota. Dat Ding pampelt gemeinlich im Dreck herum. Rogatus porrò: *cui animali ille præcedentiam præ reliquis permitteret?* muscæ, ait, hæc enim Sanctissimi Domini, si in Laureto missam legit, vertici non tantùm, sed naso quoque insidet, eumq; collutulat. Und dat iß nue grote Licentz / Quæ nec mihi, nec V. Strenuitati dabitur unquam. Tandem, *quas reliquias apportâsset Româ?* nullas, respondit, at promisit Pontifex, quamprimùm acceperit *matulam S. Vrsulæ*, se

historia faceta.

L Patri-

(b) vid. diss. m. de corvo excommunicat. §. 23.
(c) in continuat. chron. Hiuxar. Visselbecc. ad ann. 1402.

Patribus nostris eam missurum. Omnes in cachinnum soluti, ipseque his & similibus victualia & cappam promeruit. Sic *VVittebenne.*

CAPVT X.

DE INSOMNIIS ASININIS.

§. 1.

somnia vana, VErum Ecclesiastici effatum: (d) *qui captat umbram & persequitur ventos, ita est, qui se adhibet somniis. Somnia vana sunt, & multos seduxerunt, & exciderunt, qui spem in iis habuerunt.* Interim

πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἴχθυα κἀγών,

Somnia sunt canibus panes, mihi somnia pisces,
ait piscator ille apud Theocritum. Scilicet

naturalia *Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,*
tempore nocturno reddit amica quies.
Venator *defessa thoro cùm membra reponit,*
mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus *lites*, aurigæ *somnia currus*,
vanaq; nocturnis meta cavetur equis.
Gaudet amans *furto, permutat* navita *merces*,
& vigil elapsas quærit avarus *opes*. (e)

divina Cunprimis *ne tu sperne piis venientia somnia portis*,
cùm pia venerunt somnia, pondus habent. (f)

§. 2.

(d) XXXIV. 2. (e) Claudian. (f) Propert. L. IV. eleg. 7.

§. 2. Qui se *caput auresq; asininas*, caninas, seu equinas habere somniat, inservitutem aliasque ærumnas labetur. Si quis ægrotans per quietem viderit *asinum* à lapsu se erigentem, de convalescentia bene sperare potest. Viderat molitor *asinum* suum arborem conscendere, inque ea hymnos decantare matutinos. Altero die pyrum ipse conscendens, cum ramo, quem comprênderat, decidit, fractô dextro pede. De adagio, *in asini aures canere* : vide *Chrysostomum*. (g) Prædixerat genius in somnio peritissimo Musico Ægyptio, fore, ut in *asini aures* caneret. Tandem tyrannus Syriæ Memphim venit, eumque accersit. Musicus doctum artis suæ specimen exhibiturus, rejicitur à tyranno. Tunc somnii sui memor erat. somnia asinina molitoris & Musici

§. 3. Alius somniabat, ac si *niger asinus* eum morderet, & postea aufugiens descendensque in Albim mutaretur in monstrosum piscem. Paulò post à privigno lis contexta multum ei facessit negotii. Scribit *Artemidor.* (h) si quis viderit in somniis *canes mordentes latrantesvè*, calumnias & injurias significari: si *albi* sint, apertas, si *nigri* clancularias; aliorumque

- - absentem qui rodit amicum,
qui captat risus hominum, famamq; dicacis,
fingere qui non visa potest, commissa tacere

L 2 *qui*

(g) orat. 23. (h) L. II. (i) Horat. l. sat. 4.

qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane caveto. (i)

canes in pisces mutati, Mirabile etiam, quod de *canibus Japonicis*, balneo frequentiori in *pisces* mutatis, ex aliorum narratione allegat *Seyfried.* (k) Vetula febricitans consilium hoc acceperat in somno, si aquam in amphora residuam, quam biberat *asinus* ejus, ipsa ebiberet, ociùs febrim cessuram. Fecit, & stulta hæc fides sanam reddidit. In monte Martis corvus ocissimè advolans nunciârat *Petro* Waldstein/ *asinum* ejus in Dimolam lapsum omnem, quam portarat, effudisse farinam. Nihil autem inde mali. Cùm *Apollonius* in cætu amicorum consedisset, spectans ad *passeres*, (alii malunt hirundines) in arbore considentes, unus ex iis garritu & voce annunciavit reliquis, *asinum* propè urbem tritico onustum, triticoque humi diffuso, cecidisse. Et cuncti hunc secuti evolarunt. *Apollonius* verò relata hujus avis commensalibus suis explicuit, qui spectatum exivere mirabile hoc visuri. (l)

mira febris curatio,

passerũ sagacitas,

(k) in medulla memorabil. Nat. L. II. c. 3. §. 20. (l) ita ex Philostrato & Porphyrio refert J. G. Gokel. in epist. de mirabil. quorundam animal. Dec. II. eph. curios. ann. V. annex. Vide sis etiam D. Val. Alberti disp. de insomniis Lips. 1667. & D. Henr. Horchii de ead. mat. Marburg 1677.

PARS

PARS SECUNDA
Agit de usu Asini
POLITICO-SAGATO,

CAPUT I.
DE USU ASINI IN SERVANDA ET CAPIENDA URBE ALIISQUE LOCIS.

§. 1.

FAceta historia & lectû digna *Joannis Bangii* (m) de pauperculo quodam mercatore, cujus omnem supellectilem *asinus* dorso portabat. Rapto autem ab aliis, & re ad *Ludovicum*, Thuringiæ & Hassiæ Landgravium, delatâ, Princeps, justitiæ tenax, bellum indixit Præsuli Herbipolitano brevî tamen finitum. *Alyattes* Rex *Prienem* arctâ obsidione cinxerat, *Bias* (cujus sapientia diuturnior inter homines est, quàm patria ejus fuit,) duos saginarat *mulos*, eosque in castra egit. Queis conspectis, mirabatur Rex, quàm nitidas bestias alerent incolæ, ac de solvenda obsidione meditans exploratorem in urbem misit. *Bias* magnos arenæ acervos triticô opertos homini monstrat. Audiens hoc Rex cum Prienensibus pacem fecit, vocatoque ad se Bia dixit: *equidem Alyattem cepas edere, & flere*

bellum ob asinum

Priene à mulis servata,

(m) chron. Thuring. pag. 86. seq.

jubeo.(n) E tripode *Cous* noster: (o) *Certè beati* sunt populi, qui Viros bonos sua esse *propugnacula* intelligunt, non *turres*, non *mœnia*, sed *prudentium Virorum prudentia consilia.*

factio asellata §. 2. Dux Brabantiæ *Joannes* uxorem *Jacobam* die XXV. Mart. obiidet in Schonhofia. Continuatur obsidio XXII. septimanis & IV. diebus, solviturque die XXIX. Augusti. Cùm præterea rumor esset, Ducem Glocestriæ in Hollandiam cum exercitu redire, & Dux Brabantiæ nullibi acceptus esset, *factio asellata* evocavit *Philippum*, Ducem Burgundiæ, ut sit tutor *Jacobæ*, quod & factum est. Sed *factio Hamata* impedit hoc, atque ita bellum geritur per tres annos. (p)

Molossi ab asino fugati, §. 3. Cùm in *Ambraciotas* noctu insidias disposuissent *Molossi*, *asinus*, qui fortè ex agro in urbem agebatur, *asellam* lascivè insectans, magnum excitavit ruditum, ipse etiam agaso per tenebras obscurâ & inconditâ voce clamabat. Injecit ea res tantum pavorem *Molossis*, ut reliquerint ocius locum insidiarum. Hinc in rei memoriam *aneum asinum* servarunt semper sibi, teste *Pausania*. Dixit mihi & milites capti *Nymsius*, Vice Colonellus Monasteriensis, solum *asinum* sibi olim in re ancipiti monstrasse pagum, in profundiori valle abditum, quo de aliàs ne suspicari quidem potuisset. In hoc hostem,

(n) Aldrov. l c. pag. 178. (o) in epist. ad S. P. Q. Abderit. (p) Seth. Calvis. chronol. p. 875. B.

hostem, de omni periculo securum, animosè cæcidit, crebriùs repetens rythmum:

Es hatte sich der Feind zwar tieff genug versteckt/
Doch hat das Müllerthier mir dessen List entdeckt.

CAPUT II.

DE USU ASINI IN PLECTENDIS DEHONESTANDISQUE REIS ET ALIIS.

§. I.

IN multis Germaniæ locis rei *asino* insidentes, per fora plateasque vecti, virgis cæduntur, lictore à tergo hærente, adque majorem ignominiam inverso insident corpore, *caudam asini* manibus tenentes. Milites leviùs delinquentes *ligneum* conscendunt *asinum*, ubique in foris conspicuum. Sunt etiam, qui è collo stipitem, vel nomine seu figurâ *asini*, scholaribus appendunt. Certè si quis in aula *Ludovici* Pii, Thuringiæ & Hassiæ Landgravii, juramento nomen Domini profanasset, hujusmodi *asinum* portare tenebatur, donec alius, similis pœnæ reus, ab eodem supplicio eum liberaret. Vel derisuri aliquem, digitis protensis, seu applicatis expansarum manuum ad tempora pollicibus, crebro palmarum motu, *auriculas asini* imitan-

rei insident asino

collo dependet

auriculæ asininæ

tantur, adjecto sibilo. Hinc istud Persianum:

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
nec manus auriculas *imitata est mobilis* albas.

Alii si quid commisissent, idque negarent, suprà *aures asini* jurabant, vel ex veste, seu sudario fictas. *Andronius Comnenus* cùm *Alexium*, cujus factus erat tutor, sustulisset, imperioque potitus, omnem crudelitatem in *Alexii* consanguineos exercuisset à *Guilielmo*, Siciliæ Rege, victus captusque, & per urbem præpostere *asina* impositus, altero oculo effosso, manuque alterâ detruncatâ, circumvectus vulgi turbæque tumultu uncis & harpagonibus frustulatim dilaniatus periit (q) *Tamerlanes*, Tattarorum Imperator, Bagezetem, Turcarum Imp., à se captum (quòd hic isti ignobilitatem generis semper objiceret,) *mulo asinove* impositum per castra ignominiosè agi jussit. (r) *Hypatius*, nepos Anastasii Imperatoris, cum magnâ manu contra *Vitellianum* pugnans, ab Hunnis captus, *Vitelliano*, simili jumento insidens, venditus fuit, antequam aperto Marte se hostem ostenderet, dicente *Cypriano*.

Tamerlanes

Hypatius

temeritas Hispanorū

§. 2. Cùm Hispani & Germani *Brixiæ* arctissimâ obsidione cincti à *Maximiliano* Imperatore auxilium impetrare non possent, morionem *asello* impositum, Imperatoriis insigni-

(q) Aldrov. l. a. p. 166. (r) Idem l. c. pag. eâd.

insignibus & aquilis ornatum, lagenasque collo suspensas deferentem, per urbem duxerunt, & pro Cæsare temulentius & protervius, quàm quis crederet, fœdis acclamationibus salutarunt, notante ex Sabellico *Aldrovando*. (s) Τὸν Θεὸν φοβεῖσθε, τὸν βασιλέα τιμᾶτε. (t) At nec Deum timuêre, nec Cæsarem honorarunt impudentissimi isti, quorum factum quisque pius mecum execrabitur in æternum. Ita *Beatrix*, Raynaldi, Burgundiæ Principis, filia, & *Friderici* I. Imp. uxor, referente *Guilielmo Paradino*, (u) cùm miro videndi *Mediolani* flagraret desiderio, quòd passim audivisset, pulcherrimam florentissimamque civitatem esse, eò venit cum exiguo comitatu. Cives verò post homines natos inauditum aggressi facinus. Nam *Augustam* (pudeat narrasse) *strigoso asello* præposterè impositam, ut pro freno caudam teneret, per compita vectam probris, cachinnis, ludibrioque nefario perfusam urbe tandem turpissimo jumento insidentem exire jubebant. Certior hujus rei factus Cæsar, magnis viribus Mediolanum adortus, urbemque in tantas conjecit angustias, ut, qui saluti suæ consultum vellent, ex *veteris ferocisq; mulæ ano* feces, vel nymphion extrahere cogerentur. Detrectantes hoc supplicium capite plectebantur. Et qui os bestiæ admovebant pudendo, calci- & Mediolanensium

(s) loco jam citato (t) 1. Pet. II. 17. (u) libr. de antiquo statu Burgundiæ.

bus subinde jactatis miserrimè vapulabant. Ideo maluere multi securi caput submittere, quàm ficus è *podice mulæ* evellere. (w) Sic cùm contra *Calixtum* II. electus quidam esset *Burdunus*, (qui ita dictus est, quòd Hispanus erat, ubi sunt *fortes asini*,) qui nominavit se *Gregorium*. Iste Calixtus *Burdunum* captum versa facie fecit se præire in camelo, caudam ejus tenentem pro freno. (x) Et Constantinus Imp., F. *Leonis Isauri*, (dictus *Copronymus*, quòd baptismum infans stercore fœdarat, etiam *caballinus*, ex caballinarum sordium æstimatione,) *Anastasium* Patriarcham, qui *Artabastum*, imaginum propugnatorem, Imperatorem nominarat, in pœnam rebellionis fustibus subjecit, & dein *retrorsum asinum* agitare jussit per urbem, sic ut freni vice caudam teneret. (y)

Burdunus

Anastasius Patriarcha

torporis

§. 3. *Torpor* labori maciem in fabulis objiciens, & neglectum corporis habitum, dimittitur à judice

- - *turpi impostus* asello,
urticæ caput ignavum amplectente corona,
præque manu hirsutum portans cum germine ruscum,
spectantum irrisu, & magno clamore sequentum.

& medicastrorũ pœnæ

In Academia *Monte-Pessulana* siquis medicum

(w) Conf. Autor. des politischen Nach-Tisches edit. Francofurt. & Lipsiens. anno 1690. in appendice. (x) Engelhus. chron. p. 219. (y) Winckelman. Cæsareolog. p. 59.

cum se mentiatur, statim rapitur in *asinum strigosum*, tollitur sublimis adversus, totâ circumducitur urbe, omnibus est ludibrio, vapulat, conspuitur, laceratur, sordibus omnis generis conspurcatur, ceu olim sacra illa Massiliensium victima, postremò urbe expiatâ ejicitur, nunquàm illûc rediturus, nisi maximo suo malo, ùt ex *Joanne Libautio* narrat *D. Joh. Matth. Nesterus*, Archiater Brandenburgicus. (z) De *adulteris* in Turcia refert *Christoph.* Harrant / (a) quòd itidem *aversâ facie* vecti circumducantur *asino*, caudam tenentes pro freno. Adulter gestat in capite *inversum tauri ventriculum*, adultera verò *intestina ovilla*. (b) nec non adulterorum

§. 4. Sed qua pœna dignus *Magistellulus* iste *De Ignorantia*, qui ex *asinina* prorsus stupiditate blaterasse fertur, me ideò scripsisse de *asino*, quod Collegium in Italia Pontificium, cujus insigne *mula*, me nuper receperit? Commendabat *laborem candoremque* meum Illustri & Florentissimæ Academiæ RECVPERATORVM Excellentissimus D. *Carolus Patinus*, Eques D. Marci, & Professor Patavinus, Amicus & Collega Venerandus, à qua etiam ante septennium solenniter receptus sum. Non habet *mulam* pro insigni, nec *Pontificium* Collegium est, ùt fatuus iste somniat, Magistellulus castigatur

 sed

(z) in præf. altera super Promptuar. mat. med. Macasii (a) in Itin. orient. pag. 856. seq. (b) Adde Döpleri theatr. pœnar. p. 818.

ſed Bonorum Doctorumque Virorum Societas, ſeu Pontificis, vel Proteſtantium partes tueantur. Ecce autem, mi Lector, teſtimonium meum Academicum.

teſtimonium ab Acad. Recuperatorum mihi datum

ALFONSO DEGL' ODDI, PRINCIPE DELL' ACADEMIA DE RICOURATI.

ESſendo ſtato propoſto all' *Academia noſtra* di ricevere nel ſuo numero Exc: D. *Chriſtianus Franciſcus Paullini*, & conoſciuto il merito, & virtù del medeſimo per teſtimonianza d' huomini digniſſimi de fede, è ſtato ſotto il di delli 12 di Gennaro con pienezza di voti aggregato, & il ſuo nome deſcritto nel regiſtro de gl' *Academici* noſtri à perpetua memoria; in fede di che abbiamo ſegnate le preſenti del ſigillo dell' Academia, & ſottoſcritte di noſtra mano.

Data in Padoa il di ſettimo di Maggio 1688.

(L.S.) *Alfonſo degl' Oddi, Principe dell' Acad. de Ricourati.*

Gio Battiſta Scarella
Cancell.

(o)

CA-

CAPUT. III.

DE ASINO, UT SIGNO MILITARI, EJUSQUE USU IN STRATAGEMATIBUS.

§. I.

SOlebat pacis tempore omnis ferè Italia, & quælibet in ea Respublica, suis finibus congregari, ibique cursus, saltus, luctas, & ludicra ejusmodi alia exercere, & sub ficti certaminis apparatu hilariter & amicè inter se concurrere. Erat tunc Patavinis signum militare *draco biceps*, Vicentinis *asinus*. Accidit autem, cùm ex vicinis pagis quique in suis finibus congregati, ejusmodi ludos agerent invicem, ut *Vicentini* numero & virtute reliquorum vincerentur. Quocirca indignantes cœperunt furere, verso certamine ludicro in verum cruentumque. *Patavini* autem abstulerunt eis *asini* vexillum, eosque à finibus depulêre. Signum hoc ovantes portarunt Patavium, tàm in gloriam victoriæ, quàm in probrum Vicentinorum, in foro vivum suspendentes *asinum*. Quod Vicentini ægerrimè ferentes, communium tamen amicorum consilio fœdus inter fecerunt his conditionibus, ut Vicentini pro redimendo *asini* suspendio epulum Patavinis darent, quod etiam factum est. Equos namque lucanicis onustos mise-

cur Patavini asinorũ suspensores dicantur?

runt

runt Patavium, quas in frusta sectas læti Patavini inter se partiti sunt, & ita pacatis utrinque rebus quisque hoc habet probrum. Vicentini scilicet, quod eorum vexillum ignominiosè in furca pependerit, Patavini, quod pro tam vili lucanicæ frusto, quod singuli acceperant, è furca *asinum* deposuerint. (c)

porcus insidet asino,

§. 2. Retulit mihi veteranus Equitum Magister *Gronfeldius*, se novisse quondam in exercitu Bavarico Centurionem, *Casparum Onetill*, in cujus vexillo etiam *ciconia* videbatur. At quia spurcus & ignavus homo erat, milites, in opprobrium ejus, *porcum* pinxêre *asino* insidentem. Num respexerint ad cognomen illius, quod ex ὄνος & τίλος, stercus, componi potest, ut *Onetill* idem foret ac Eselsdreck/ certò non dixero.

Gibeonitarum stratagema pisistrati

§. 3. Quomodo Gibeonitæ *asinis* imposuerint saccos, delusuri Principem *Josuam*, ipsemet vide, (d) & nota calliditatem hominum, ictique fœderis firmitatem. *Pisistratus*, Hippocratis filius, teste *Herodoto*, (e) tyrannidem Athenis affectans, seipsum ac *mulas* cùm vulnerasset, bigam in forum agitavit, tanquam elapsus ex hostium manibus. Populum itaque oravit, ut aliquid custodiæ circa se habere permitteret.

Darii

Darius, Persarum Rex, *asinos & canes* è castris fugiens ibidem reliquit, quos cùm *rudentes latran-*

(c) Aldrovand. l. c. pag. 166. (d) Jos. IX. 3. seqq. (e) L. I.

latrantesq; audirent Scythæ, putarunt, adhuc in castris Regem esse, quo de latiùs *Herodotus.* (f) In magna illa Trium Virorum proscriptione *Reginus* etiam hostis judicatus est, qui *asinum* frondosis fascibus onustum ante se agens, fugamque adornans, ab omnibus spretus feliciter evasit. (g) & Regini

SECTIO TERTIA
continens
SACRA.

CAPUT I.
DE SUMMO HONORE, QUEM DEUS ASINO EXHIBUIT.

§. 1.

PRIMUS honor *asino* à Deo exhibitus fuit *in nativitate.* Vulgatissima enim opinio, adstitisse ad præsepe Domini duo animantia bruta, *asellum* atque bovem, juxta cantilenam nostram: Cognovit bos & *asinus* &c. (1) in nativitate

Ach HERR du Schöpffer aller Ding/
wie bistu worden so gering/
daß du da liegst auf dörrem Graß/
davon ein Ochs und Esel aß.

Hûc

(f) in Melpomene (g) Conf. S. I. c. 3. §. 3.

Hûc trahitur istud *Habac.* (h) *in medio duorum animalium cognosceris.* Ineptè prorsus. Sic enim textus sonat: *in medio annorum vivifica illud.* HErr/ du machest dein Werck lebendig mitten in den Jahren/ i. e. opportuno tempore; & illud Esaiæ: (i) *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Reprehendit Dominus ingratitudinem populi Judaici, ex communi Interpretum consensu. Patres explicant allegoricè, vide tamen *Casaubonum* (k) & alios. (l) Dubium est, an consortium hoc *asini* bovisque halitu suo tepido defendere debuerit à frigore tenellum Salvatoris corpus? *Petrus Latichius* sic: (m)

dubium sacrum,

Cultor agri, juxta bos, *& stridentia carpens*
pabula, Josephi *vector* asellus *erant:*
Protinus hirsutos, submisso poplite, vultus,
oraq; divinum corpus ad usq; ferunt.
Neve recens natus mala frigora *sentiat infans,*
fumificis *arcent* flatibus *acre gelu.*

Actius Sincerus Sannazar. ita: (n)

Quis tibi tunc animus, quæ sancto in corde voluptas,
ô genitrix, cùm muta tui famulantia cunis,
ac circùm de more sacros referentia ritus,
aspiceres Domino genua inclinare potenti,
& sua commotum trahere ad spectacula cœlum?

Magne

(h) IV. 2. (i) I. 3. (k) exercit. 2. Sect. 2. p. 165. seq. (l) Dilherr. L. II. elect. c. 15. p. 186. seq. Guiliclm. Est. comm. in Luc. c. 2. p. 550. (m) L. IV. eleg. 6. pag. 128. (n) L. II.

Magne Pater, quæ tanta rudes prudentia sensus
leniit, informi tantos quis pectore motus
excivit calor, & pecudum in præcordia venit?
ut quem non Reges, non accepêre tot urbes,
non populi, quibus unà aras, & sacra tueri
cura fuit, jam bos *torpens, jam segnis* asellus
autorem latè possessoremq; salutent?

Addo *Petrum Rosetum*, qui sic: (o)

Ecce fidem suprà, seculi res maxima nostri
obstupet intentis oculis bos *pronus, & unà*
tardum asinus *pecus, ambo obliti pabula læta,*
incurvant genua, & Regem venerantur olympi;
congestis puerum stipulis ante ora jacentem
mirati, monstrantq; novô sua gaudia gestû.

Narrat *Lyra*, citante Fr. *Guillermo*, (p) *asinum* aliud
& *bovem* fuisse κλήματα ipsius Josephi, quæ secum adduxerat Nazaretho, ut quidem super *asina* veheretur Maria, bos autem Bethlehemi venderetur, atque ex pecunia ista census redderetur. Addit *Guillermus*, quòd nonnulli tradant, bovem atque *asinum* genua flexisse coram Domino. Dixerim ego cum Chemnitio: (q) multa veteres de *bove* illo & *asino* philosophati sunt, sed *conjectura* tales, si *sobriè* usurpantur, veluti non *odiosè* exagitandæ, ita nec *temerè* asseverandæ pro dogmate. Nec opus est dubia & incerta, licet *speciem* aliquam *verisimilitudinis* habeant, *curiosius*

M inse-

(o) L. I. (p) in compendios. Postill. super Evang. annal. evang. in galli cantu nativitatis Christi f. 81.
(q) harmon. evang. c. 8, p. 92.

insectari, cùm in illis evolvendis, quæ Spiritus S. per Evangelistas literis commendavit, utilius operam collocare possimus.

(z) in ingressu Hierosolymitano

§. 2. *Secundò* in *ingressu* suo *Hierosolymitano*. Messias scilicet mirificum liberationis opus perfecturus, mansvetudinisque suæ qualecunque specimen editurus, Hierosolymam *asino* vectus ingreditur longè aliâ pompâ, quàm nostri Reges solent, & qualem stulti Judæi adhuc somniant. Insidens *asino* & *pullo* filiarum, ait Zacharias. (r) Cujus jumenta ista fuerint, B. *Chrysostomus* innuere videtur, (s) dum πένητας ὄντας, ἴσως καὶ γεωργούς, pauperes & forsan agricolas appellat. (t) Utrumque populum *circumcisionis* & *præputii* significare ajunt plurimi, quorum prior gravissimum legis portarat jugum, sicut scriptum est. (u) *Pullus* autem *novus* gentilium multitudo, *frenum non habens legis, nec rectus ab aliquo, sed semper in præcipitiis, & in voraginibus idololatriæ elisus atq; confractus, Domini sessione didicit & ambulare & rectam viam ingredi.* (w) Hanc in utroque jumento figuram etiam *Chrysostomus* (x) paulò pluribus explicat. (y) Antiquiores recutitos illustre vaticinium Zachariæ de *Zerubabele* intellexisse,

(r) IX. 9. seq. (s) in Matth homil. LXVII. f. 582. (t) Add. D. Gall: Postill. Dom. I. advent. f. 9. (u) Act. XV. 10. (w) Hieron. Tom. V. lib. 3. comm. in Zach. IX. f. 118. (x) l. c. f. 584. (y) Conf. Augustin. T. VI. contra Faust. Manich. L. XII. c. 42. Justin. Martyr. Dialog. cum Tryph. f. 211.

xisse, indicat simulque refutat Dn. *Frischmut*. (z) Tres equidem posteriores Evangelistæ (a) tantum *pulli* meminerunt, cui Dominus insederat; Solus Matthæus (b) *asinam* cum *pullo* affert. Autumant nonnulli, Christum super utroque in solennni hoc ingressu vectum esse, sed per vices, *asinâ* quidem prius & breviùs, *pullo* verò posterius & diutius. (c) At verior sententia est, *soli pullo* Dominum insedisse, cùm plerique Evangelistæ ejus tantùm meminerint, & quidem talis, ἐφ' ὃν ὐδεὶς πώπωτε ἐκάθισε, super quem nemo unquàm sederat. (d) Ex quibus apparet, Dominum voluisse sibi de industria ejusmodi animal eligere ad suum ingressum, quod nec dum humanis commodis inservierat. Neque si & *asinæ* insedisset, & ita tam brevi via ab hac in pullum se contulisset, (quod *Hieronymo* minimè fit verisimile,) ratio fuisset singularis, quamobrem tàm notanter *pullum* describeret, & id seorsim tàm signanter & accuratè Evangelista inculcaret, ex illo *pullo* nihil adhuc ullam comoditatem humanã delibasse. Nempe uti David arcam Dei *novo plaustro* imposuit, (e) & Christi corpus *purâ, novâ,* &

(z) disp. de Messia Rege Sionis cap. 1. §. 4. & c. 2. §. 6. seqq. (a) Marc. XI. 2. Luc. XIX. 30. Joh. XII. 15. (b) XXI. 5. (c) Vid. ex professo hac de re Hunnii comm. super h. l. & Mehlführer super Dominic. I. Advent. (d) Marc. XI. 2. Luc. XIX. 30. (e) 2. Sam. VI. 3.

recens emtâ findone involutum, & in fepulcrum, à *nullo cadavere* pollutum, repofitum; ita etiam non *annofâ afinâ*, fed *juvenculo pullo*, nullis dum humanis ufibus mancipato, uti placuit. Etfi verò id pro certo traditur, Dominum *afinæ* itidem, quantumvis brevi tempore, infediffe, ad fignificandum, Judæos, quos *afinâ* defignatos fuiffe antiquitas credidit, brevî effe defecturos, id tamen an ullo nitatur fundamento, nefcimus. Utut enim patres *afinâ* Judæos & *pullo* gentes præfiguratos effe doceant, incertum tamen eft, vel utrique Dominum infediffe, vel eum fic defignare voluiffe Judæos & gentes, cùm apud Evangeliftas altum hac de re filentium fit. Senfus verborum Prophetæ & Matthæi, *fedens fuper afino*, idem eft ac *pullo unius afinæ*. Etfi enim hic *afinam* cum *pullo* adductam fuiffe commemoret, & utrique, veftimentis difcipulorum impofitis, Dominum infediffe afferere videatur, videtur tamen tantùm, & reâpfe ceteris Evangeliftis minimè contradicit, fed enallagen numeri, Ebræis ufitatiffimam, adhibet, qua pluribus indefinitè tribuitur, quod illorum uni competit, eg. fuper montes, (f) i. e. unum montium: filii Ifraël, h. e. unus illorum Achan, (g) fepultus eft in urbibus Gilead, (h) i. e. in una. *Pullis* verò ejusmodi vehi, admodum honorificum erat apud vetuftiores Ebræos, unde *Abdon* XL. filios

(f) Gen. VIII. 4. (g) Jof. VII. 1. (h) Jud. XII. 7.

filios habuisse dicitur, & XXX. nepotes LXX. *pullis* vectos. (i) Confer aureolam dissertationem citatam Doctissimi *Frischmuti*, in alma Saxonum nostrorum Salana Linguarum orientalium Interpretis, ad illustrandum Zachariæ locum, (k) & convincendos Judæos, qui hodienum Messiam frustra præstolantur. Pulchrè *Brodbeck*: (l)

Cur asinam, *Rex magne, humilem conscendis agisque?*
anne humiles nostras sic cupis esse animas. (m)

De ipso autem *asino, Christi vectore*, legi meretur solennis disputatio D. *Carpzovii*, Prof. Lipsiensis, qui omninò satisfaciet curioso lectori.

§. 3. Denique cùm ex divina misericordia miserrimam istam *mulierem*, à Satana *octodecim* jam annis divexatam, & *deploratum hydropicum* ipso sabbato feliciter sanaret, rogabant murmurantes Synagogiarchæ, pulli viperini, annon religio foret talia patrasse in sabbato? audite, respondit Dominus, si vobis fas est *bovem asinumve*, in puteum lapsum, sabbato extrahere, quidnam mihi exprobrabitis bonum factum hypocritæ? (n) Viden', quanti semper fecerit *asinum* Salvator mundi.

(3) in curatione solenniori,

(i) cit. cap. V 14. (k) IX. 9. seq. (l) C. I. epigr. sacr. 18. (m) κατ' ἀναγ: (n) Luc. XIII. 14. seqq. & XIV. 3. seqq.

CAPUT II.
DE STATUTIS, SEU LEGIBUS ASININIS.

§. I.

(1) in lege morali,

PRima est in *lege morali*, seu Decalogo, comprensa, & quidem (1.) *in tertio praecepto primae tabulae.* Sabbatum adeò sanctum & inviolabile Deus voluit, ut etiam *asino* otia sua in eo fecerit. (o) At quid hodie festus dies? *irritamentum gulae & occasio luxuriae*, dicente Antisthene apud *Stobaeum.* Die Alten [sunt verba *Schuppiana* (p)] haben einen Knecht/ wenn er am Sontag gearbeitet hat/ geprügelt/ und den Herzn deßwegen dreymahl gestrafft. Wenn aber der Herz zum viertenmahl ist verklagt worden/ daß er seinen Knecht am Sontag habe arbeiten lassen/ so ist ihm der vierte Theil seiner Güter genommen worden. Die Bäyern haben hiebevor in ihrem Land-Recht verordnet / daß derjenige/ welcher am Sontag vor-oder unter dem Gottesdienst mit einem Wagen fahre / dafür zwey Pferde gespannt sind/ soll er ohn einige Gnade das eine Pferd verlieren. Wann er aber nach dieser Strafe noch einmahl auf einem Sontag mit einem Wagen fahre/ so sol ihm die rechte Faust abgehau-

sabbathum sanctũ,

(o) Exod. XX. 10. XXIII. 12. Deut. V. 14. (p) im gedenck dran Hamburg E.

gehauen werden. Cùm *Olaus*, Norwagiæ Rex, in die Dominico cogitationibus gravatus obambularet, ac *baculum* quendam forte fortuna cultro formaret, admonitus ab adstante per jocum de violatione Sabbati, non leviter in se punivit admissum: scindulas enim collegit omnes, manuique suæ impositas jussit incendi, ut se ulcisceretur, quod contra divinum præceptum incautus admisisset. (q) (2.) in *ultimo secundæ tabulæ præcepto.* Non concupiscas *asinum* proximi. Quantum gloriantur *Moses* (r) & *Samuel*, (s) quòd ne *asinum* quidem abstulissent. Certè *asini* prædam magnam meruisse pœnam, Spiritus Dei testabitur. (t)

§. 2. Secunda extat *in lege Levitica.* Omne primogenitum Deo sacrum erat, excepto *asino.* (u) Die erste Geburt vom Esel solt u lösen mit einem Schaaf. Wo du es aber nicht lösest / so brich ihm das Genick. Agnus Dei tollit peccata mundi: (w) qui hunc Salvatorem non agnoverit, fractâ cervice peribit, i. e. morte morietur. Honora igitur Jehovam de divitiis tuis, & de primitiis omnium proventuum tuorum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino novo tor-

(2) in lege Levitica

(q) Beyerling. theatr. vit. hum. lit. P. voc. pœnitent. Zwinger. L. XII. Theatr. vit. hum. voc. pœnitent. (r) Num. XVI. 15. (s) 1. Sam. XII. 3. (t) Deut. XXVIII. 31. Num. XXXI. 34. (u) Exod. XIII. 13. (W) Joh. I. 29. Esa. LIII. 4.

torcularia tua sese rumpent. (x) Cur autem omne, quod vulvam aperit, seu primùm nascitur, Deus sibi vendicabat? (y) [1.] ut Judæis in memoriam revocaret peculiarem liberationem per Angelum præstitam, cùm primogenitos Ægypti prosterneret, [2.] ut sacerdotibus & Levitis de stipendiis prospiceret, [3.] ut commonefaceret, nihil ipsos habere proprii, sed omnia contingere divinâ benedictione, [4.] ut admoneret eos dignitatis, quòd essent primogeniti sui, & præ reliquis populis dilecti, [5.] ut typus futuri ipsius primogeniti Patris forent. (z) Ceterùm *asinæ* primogenituram ove commutare, est primordia rerum ad innocentiæ simplicitatem referre. (a)

dubium

(3) in lege politica,

§. 3. Tertia *in lege Politica.* (b) Si videas errantem inimici tui *asinum*, reducito ad eum. Gravissimum Salvatoris nostri mandatum: (c) ἀγαπᾶτε τὰς ἐχθρὰς. Sapientissimi Regis *Alfonsi* sententia erat, scribente *Pontano*, (d) cani oblatranti etiam offulam dare. *Annon sceleratis sol oritur, & piratis patent maria?* (e) Interrogatus aliquando *Alexander Severus*, quis Regum foret optimus? *qui amicos*, dixit, *muneribus retinet, inimicos beneficiis sibi conciliat. Satius enim est, prodesse malis propter*

(x) Prov. III. 9 seqq. (y) Num. III. 12. (z) Fridlieb. T. I. Theol. exeget. in h. l. pag. 239. (a) Exod. XXIV. 20. (b) Exod. XXIII. 4. Deut. XXII. 1. (c) Matth. V. 44. (d) c. 30. de liberalitate, (e) Senec. L. IV. de benef. c. 26.

pter bonos, quàm bonis deeſſe propter malos. (f) *Non tanquam hominibus, ſed tanquam homines demus.* (g) Reprehenſus aliquandò *Ariſtoteles*, quòd improbo aliquid dediſſet: *non mores*, ajebat, *ſed hominem miſeratus ſum.* Et de alio: *humanitati, non homini, dedi.* (h) Bonum igitur *Stobæi* monitum. (i) At quod dextra facit, facias neſcire ſiniſtram. (k) *Perfecta enim liberalitas eſt, ubi ſilentio quis tegit opus ſuum, & neceßitatibus ſingulorum occultè ſubvenit.* (l) Profanum exemplum vide apud *Senecam.* (m) Bellè *Scaliger*: (n) *Benefac male facientibus: hoc Deo ſupremo fies ſimilis, qui reficit bonos malosque.* Ergo ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε, καὶ ὅτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον χριςȣ̃, (o) ne dicatur de nobis iſtud *Chryſoſtomi*: (p) *lapſum proximi* aſinum *ſæpe erigimus, verùm noſtrorum lapſas animas plusquàm* aſinam *ſpernimus atque negligimus.*

(f) Idem l. c. cap. 28. (g) Agell. L. IX. cap. 2. (h) Diog. Laërt. L. V. cap. 1. (i) Sermon. 152. (k) Matth. VI. v. 3. (l) Ambroſ. L. I. offic. pag. 23. (m) L. II. de benef. cap. 10. (n) Epidoip. L. III. (o) Gal. VI, 2. (p) homil. 2. in II. Tim.



CAPUT III.
DE TRIBUS PRÆCEPTIS ASININIS.

§. 1.

primum PRimò vetuit Deus, ne ſub aratrum ducantur ſimul *bos* & *aſinus*, (q) quia vires non ſunt æquales. Alii ſic: non arabis cum animalibus diverſarum ſpecierum, quorum aliud *mundum*, aliud *immundum* eſt. Odit enim Deus hypocriſin. Quid fictili ollæ cum ænea? (r) quid paleæ cum tritico? (s) quæ communio lucis cum tenebris? quid fideli cum infideli? ergò *μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίςοις.* (t) Etenim qui picem attingit, inquinatur eâ. (u) Wer mit einem Köhler umgeht/ beruſt ſich gern. Adde egregias *Senecæ* ſententias. (w) *Τὴν μὲν τῶν χρηςῶν ὁμιλίαν ἄσκησιν τῆς ἀρετῆς, τὴν δὲ τῶν πονηρῶν κατάλυσιν* nominat *Xenophon.* (x) *Nulla res magis animis honeſta induit, dubiosque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum converſatio.* (y) *Cùm his igitur converſare, qui te & ſapientiâ augeant & efficiant, ut aliis melior videaris.* (z) *Nam ſi quis etiam à culpa vacuus*

(q) Deut. XXII. 10. Conf. Zeitkürtzende erbauliche Luſt P. I, them. 230. (r) Syr. XIII. 3. (s) XXIII. 28. (t) 2. Cor. VI. 14. ſeq. (u) Eccleſ. XIII. 1. (w) Lib. de tranquillit. anim. c. 6. & L. III. de ira c. 8. (x) L. II. ἀπομνημ. (y) Senec. epiſt. 94. (z) Iſocr. ad Nicocl. §. 33. Conf. Eccleſ. VI. 34.

cuus in amicitiam malorum incidit, quotidiano usu atque illecebris facilè par similisque ceteris efficitur. (a) Exemplum dabit *S. Augustinus.* (b)

§. 2. *Secundò* Sapientissimus hominum *bovem, asinum, & fatuum* copulat, dans cuique suum, illi *flagellum*, isti *chamum*, seu *frenum*, & huic *virgam* in dorso. (c) Dem Roß ein Geissel / dem Esel ein Zaum / und dem Narren eine Ruthe auf den Rücken. Licentia enim omnes fimus deteriores. Nihil frequentiùs occurrit in *Proverbiis* Salomonéis quàm vox *stulti*, quâ tamen bis saltem Christus usus est, (1.) ad *rusticum* illum, (d) (2.) ad *discipulos Emaunticos* post resurrectionem. (e) Et quidem rectissimè utroque. Nam iste rusticus nil plus credere volebat, quàm quod præ oculis habebat. Discipuli verò nec quidem credebant 1. quod oculis suis viderant, nec 2. quod mulieres & Angeli ipsis narrârant, imò 3. nec Prophetis fidem habere volebant. (f) secundum

§. 3. *Tertiò* affert *Ecclesiasticus* tria memorabilia *asino* competentia, 1. *pabulum*, 2. *virgam*, 3. *onus*: & tria *servo* expedientia, ùt 1. *panem*, 2. *disciplinam*, 3. *laborem*, seu *opus*. Dem Esel gehört sein Futter / Geisel und Last: tertium

(a) Sallust. Catil. cap. 14. (b) L. VI. Confess. c. 8. de Alipio, Conf. suprà S. I. cap. 2. §. 8. (c) Prov. XXVI. 3. (d) Luc. XII. 20. (e) cap. XXIV. 25. (f) cap. cit. v. 22. seq. Adde Joh. Moller. alvear. sacr. §. 413.

Last: also dem Knecht sein Brod / Straff und Arbeit. (g) Apostolus Paulus die nocteque texendo sudans victum sibi comparabat, omnesque suum hoc exemplum imitari voluit, ita ut qui *non laboret, non manducet.* (h)

historia θεοὶ γὰρ ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται. *Dî bona laboribus vendunt.* Quidam religiosus foribus cellulæ suæ inscripserat: *P. P. P. O. N.* Quas literas ita explicabat Oedipus: *Panem, Pœnam,* (seu disciplinam,) *Ponon* (laborem,) *Omnibus Nobis.* Panem scilicet 1. *naturæ,* (i) 2. *pœnitentiæ & contritionis,* (k) 3. *doctrinæ & verbi divini,* (l) 4. *cœnæ Dominicæ,* (m) 5. *invocationis,* quô fides & anima saginatur, 6. *vitæ æternæ.* (n) Sistemur enim judicio divino *Omnes,* (o) *sine omnibus,* seu remotis omnibus, *coram omnibus,* in conspectu Sacrosanctæ Trinitatis, Angelorum tàm bonorum, quàm malorum, & hominum, *de omnibus* tàm enormibus, (p) quàm minimis rationem reddituri, (q) & *pro omnibus* auditoribus nostris responsuri. (r)

(g) Syr. 33. v. 25. (h) 2. Theff. 3. v. 10. (i) Gen. 3. v. 19. (k) Psal. 42. v. 4. (l) Syr. 15. v. 3. (m) Matth. 26. v. 26. 1. Cor. 10. v. 16. cap. 11. v. 24. (n) Luc. 14. v. 15. (o) Matth. 24. vers. 30. seq. Rom. 4. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. (p) 1. Cor. 4. v. 5. (q) Matth. 12. v. 36. Eph. 4. v. 29. (r) Ezech. 3. vers. 21.

CA-

CAPUT. IV.

DE MIRACULIS ET VATICINIIS ASININIS.

§. 1.

I. miraculum Bileam

PRimum eſt de *aſina Bileami.* (s) Hic oriundus ex Meſopotamia, filius *Beor*, è poſteris *Nachor*, augurio & divinationibus inter gentiles celeberrimus. Conducitur ære à *Balaco*, Moabitarum Rege, ad maledicendum populo Iſraëlitico, ſed in itinere occurrit ipſi Angelus gladio ancipiti tremendus, ut propoſitum ipſius inhiberet. Verùm avaritiæ & pecuniæ cupiditate occæcatus non animadvertit Angelum, fuſtigat ergò *aſinam*, quâ vehebatur, donec illa vocem humanam edens, cauſam furoris ejus ſcrutatur. Stabat Angelus Jehovæ in medio tramite vinearum. Scilicet hinc & illinc maceriem habebant. Coarctavit ſe *aſina*, junxit, attrivit ſe, ut recederet ab Angelo. Dominus verò os ejus aperuit: *nonne* aſina *tua ſum, quâ vectus fuiſti?* ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσε τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν. (t) Delatus ad *Balaacum*, ter benedicit populo, cui maledictum venerat, ſic dirigente Deo, vatici-

(s) Num. 22. v. 22. (t) 2. Petr. 2. v. 16. Conf. M. Joh. Wilh. Hilliger. diſp. ſingul. de aſina hac Bileami,

ticinans de Deo, interitu multorum populorum, resurrectione mortuorum &c. Tandem ære corruptus, Regi impio consilium suggerit, quô pactô Israëlitas, à quibus sibi metuebat, libidine & idololatriâ everteret.
asina loquens Unde *loquela asinæ?* ait *Tostatus*, quòd intra corpus illius noviter fabricata fuerint aliqua organa, in quibus potuisset fieri talis vocum formatio. Porrò inquit, angelum cum gladio evaginato stantem fuisse antea in corpore *asinæ*, per quam nova illa organa articulatam vocem formaverant, locutione verò finitâ exiisse, & assumto corpore aëreo, prensoque gladio coram *Bileamo* stetisse in angustia viarum, sicut prius fuerat coram *asina* humi jacente. Blaterat etiam, hunc angelum fuisse *Michaëlem*. At unde tibi hoc, *Tostate?* Filius Dei erat, qui ait: *via tua est perversa coram me*. Ajunt etiam Ebræi, *asinam* statim mortuam esse, postquam locuta fuerat. Cur verò *Balaam* non territus est loquente *asina*, sed potius magis irritatus? talibus fortè monstris, censente *Augustino*, assuetus fuit, utpote homo ariolus, cum quo Dæmones in animalium specie apparentes sæpè loquebantur, vel tantâ cupiditate incensus erat, ut nec tanti monstri miraculo, seu prodigio terreretur παρὰ φρονιμώτατος. (u)

Quid premis injustè servum pecus? incipit ægra fari asina: *hæc merces digna laboris erit*. (w)

§. 2. Se-

(u) l. cit. (w) Fab. lib. vict. cœl.

§. 2. *Secundum* est de *Simsone*, (x) qui, juxta veterem versionem latinam, *in maxilla* asini, *in mandibula* pulli asinarum (mit einem faulen Esels-Kinbacken) *delevit & percußit mille viros* unâ eâ demque horâ. Bonum sanè factum! Dominus enim prosperè super eum egit. Lætum ergò sibi epinicion cantat: *maxilla* asini (trucidavi) *acervum* (hostium) *imò duos acervos*, asini *maxilla cecidi mille viros*. Sitienti demum fonticulum aperuit Deus in ipso dente molari *asini*. Vide Theologos. II. Miraculum Simson,

§. 3. *Tertium miraculum* est de *Propheta*, ob inobedientiam à *leone*, necato, ad cujus cadaver, in viam publicam projectum, stabat *asinus* atque leo. Der Löw hatte nichts gefressen vom Leichnam/ und den Esel nicht zubrochen. (y) Quo de prolixiùs Theologi. Addimus tres historias *asininas* valdè miraculosas. III. Miraculum Prophetæ inobediens

§. 4 *Prima* est de *Josepho*, qui misit patri decem *asinos*, ferentes de bono Ægypti, i. e. de optimis frugibus, & decem *asinas* portantes panem aliosque cibos. (z) *Secunda* de *Mose*, uxorem sobolemque suam *asino* vehente in Ægyptum. (a) LXX. aliquando per ὄνος, interdum per ὑποζύγιον reddidere, quod postremum etiam h. l. habent. At vox ὄνος commodè retineri potest. Non semper enim vile ac plebejum erat *asinô* vehi. *Tertia* de I. hist. miraculosa Joseph. II. hist. Moses, III. hist. Abigail,

(x) Jud. 15. (y) 1. Reg. 13. v. 13. seqq. (z) Gen. 45. v. 23. (a) Exod. 4. v. 20.

de *Abigaile*, (b) præsentissimum periculum à domo mariti depellente. Sumserat illa secum ligaturas uvarum siccarum, i.e. fasciculos uvarum in clibano, vel ad Solem siccatarum. *Asino* vecta per abditum montis, seu per secretiorem magisque occultam montis partem. (c) Non enim vidit procul venientem Davidem, (d) ad cujus pedes postea se prostravit, dicens: (e) ne, quæso, apponat cor suum. Mein Herr setze sein Hertz nicht wider diesen Nabal / den heylosen Mann / denn er ist ein Narr / wie sein Nahme heist / und Narrheit ist bey ihm. Cur verò *stultum* vocat? non ut traduceret Virum, sed potius in favorem ejus, ut & ipsum, & opes ejus præsenti excidio, quod David super eum decreverat, eriperet. Paucula nunc de *tribus* illustribus *oraculis asininis*.

I. Vaticinium §. 5. *Primum* edidit Patriarcha *Jacobus* in Prophetico suo Testamento (f) de futuro Messia inquiens: *ligabit ad vitem* pullum *suum* &c. Sed quid hoc? annon *asinus* stramentum mavult quàm aurum? illustrissima prophetia de regio Christi introitu Hierosolymitano, (g) & faustissimo ejus regno, ubi quisque sub vite & ficu sua securè habitabit, denique de Ecclesia è Judæis & gentibus colligenda, & vinculo Evangelii & Sacramentorum

(b) 1. Sam. 25. v. 18. seqq. (c) vers. 20. (d) v. 24. (e) v. 25. (f) Gen. 49. v. 11. seqq. (g) vid. c. 1. hujus sect. §. 2.

totum ad veram vitem (h) alliganda: *Lavabit in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum pallium suum* : (i) quod cordati Theologi ad ipsum Christi corpus, quod animæ & Deitatis fuit qs. vestimentum, referunt. *Secundum* ejusdem *Jacobi* oraculum (k) hoc: *Isaschar*, quintus filius ex Lea, erit *asinus ossis*, seu osseus. Denotatur scilicet *asinus* firmus, durus, & ad omnia onera ferenda idoneus. Inter duas sarcinas, qs. dicat, *asinus* adeò fortis, ut licet inter duas sarcinas jaceat, tamen cum illis resurget. Alii sic exponunt: qui ultrò & sponte sua succumbit sarcinis, i.e. qui ferre recusat sarcinam magnam, q. d. fortis equidem, sed piger. Licèt enim vocetur *asinus osseus* ob fortitudinem, quâ ferendis oneribus sufficit, ac præsertim rusticis, simul tamen notatur pigritia; nam paulò post additur; servili fore ingenio. Sensus igitur est, filios *Isaschar*, quamvis robore polleant, quietos tamen magis, quàm cordatos fore, & ferendæ servituti paratos, non secus atque latera sua clitellis & sarcinis *muli* accommodant. (l) Isaschar wird ein beinern Esel seyn / das ist / sein Stamm wird ein rechter dienst- und zinßbarer Esel seyn / und auf sich nehmen Schoß / Schatzung und Contribution &c. Wann seine Kinder nur ihr gutes Land lang besitzen würden. Er ließ

II. Vaticinium

N Holtz

(h) Joh XV. 5. (i) vid. D. Gerhard. Comm. in Genes. ad h. l. (k) Genes. XLIX. 14. (l) Conf. S. I. c. 2. §. 8.

Holtz auf ihm hauen / daß er nur Friede hätte.

III. Vaticinium (m) *Tertium* extat apud *Zachariam*, (n) quo de autem jam dictum est. (o) *Maximilianus* I. crebriùs dixit: esse *tres* Reges cumprimis in orbe admirabiles, 1. *Imp. Roman*, 2. Regem *Angliæ*, & 3. *Galliæ*. *Illum* vocabat *Regem Regum*. Si enim Principibus suis quid imperaret, non citiùs facerent, quàm ipsis placeret. *Istum Regem hominum*, cujus subditi ad nutum mandantis essent intenti. *Hunc* verò *Regem asinorum*, cùm omnia coacti & inviti faciant parentes. Christus est Rex Regum & hominum, quos in contemtum ejus olim vocabant *asinarios*, nos verò Christianos.

tres Reges in orbe admirabiles.

CAPUT V.

DE FIGURIS, SEU TYPIS ASININIS.

§. I.

I. de Abrahamo, NUgæ Rabbinorum sunt, *asinum*, in quo *Moses* tulit filios filiasque, eundem esse, in quo Abraham portavit ligna holocausti pro *Isaco*, (p) & cum quo demum Christus Hierosolymam venit. Quàm longævus hic fuerit *asinus*! (q) Pro vulgari non habent, utpote qui tantum onus ferre haud potuerit, feminam putâ & duos filios. At quidni robustus *asinus* feminam portet cum duobus parvulis, dum nec iter acceleratur, nec femina

(m) D. Walter in postill cit. (n) IX. 9. (o) Sect. hujus c. 1. §. 2. (p) Gen. 22. v. 1. seqq. (q) Vid. Frischmut. disp. 2. de ligat. Isaci §. 4.

na semper insidet, sed nonnunquam pedes incedit ? Imò potuerunt plures *asini* esse. *Mulâ* nunquam usus est Christus, animali ex diversorum coitu nato, sed *communi asino*. Odit quippe hypocritas, χλιαρὸς. (r) Inter animam fidelem & stultam rationem consistit *asinus*. Pater credentium simpliciter, quòd justus erat, facturus, rogatur à *filio risûs*, ubi ovis foret? at ille; Dominus providebit. Conscensurus nunc in montem, pueros cum *asino* ad radices ejus linquit. Homo animalis non percipit ea, (sublimia) quæ Spiritûs Dei sunt. Μωρία, stultitia ei est, & non potest cognoscere. (s) Duo autem pueri denotant *legem* & *testimonium*. (t) Magni nominis Theologus V. D. ministrum, nunc officio sacro præfectum, ita affabatur: *gaudeo, quod* asinus *Christi factus sis, quot plagas & ærumnas sustinebit hic* asinus ! Aber ach viel tausendmahl mehr ist der HErr JESUS Christus (sunt ipsissima verba D. *VValteri*, Superint. Lyneb. General. (u)) zu einem leydenden Esel worden/ und möchte sich bey seiner ausgestandnen unaussprechlichen Marter und Pein wohl angeredet haben/ mit jenem Verßlein: Sis *asinus*, quemcunque *asinum* sors aspera fecit. Doch hat Er mit seiner grossen Esels-Arbeit unsere Kranckheit getragen. (w) Regnum ejus non est de hoc

 mun-

(r) Apoc. 3. v. 16. (s) 1. Cor. 2. v. 14. (t) Esa. 8. v. 20. (u) in Postill. cit. pag. 26. (W) Esa. 53. v. 4.

mundo. (x) Annon omnes sumus *asini*, stupidi? & ô utinam essemus singuli! (y) Philosophi Athenienses multa deblaterabant in scholis, sed cùm Paulus de JEsu crucifixo verba faceret, vocabant eum σπερμόλογον. (z) Nicodemus, magnus *asinus*, licèt ἄρχων τῶν ἰȣδαίων, regenerationem, (a) & discipuli passionem ac resurrectionem Dominicam capere non poterant: ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ. (b) Audi igitur sapientiam cœlestem optimè monentem. (c)

II. de Saulo. §. 2. *Saulus* electus & bonus, i. e. egregius & strenuus, tàm animi quàm corporis dotibus commendandus, & altior toto populo, eminens super omnes, dum amissas Patris *asinas* quærit, regnum reperit, Dei jussu à *Samuele* sacro oleo inunctus. (d) *Ecce tantum pro tantillo!* (est scholium *Vranianum*) *Nunquàm sine præmio dimittit Deus obedientiam. Parére est parare, & obsequi nil aliud quàm consequi.* Patiar *ergo ut* potiar.

III. de Samaria obsessa. §. 3. Obsessa *Samariâ* caput *asini octoginta argenteis* emtum, i. e. *viginti* imperialibus, ut totius *asini* pretium *ducentos* imperiales excesserit. (e) Ein Esels-Kopff für 20. Thaler/ ist sicherlich theur/ und dennoch sind sie an manchem Ort jetzo noch viel theurer / so daß uns GOtt härter heimsucht/ als die zu Sama-

(x) Joh. 18. v. 36. (y) Esa. 1. v. 3. (z) Act 17. v. 18. (a) Joh. 3. v. 4. (b) Luc. 24. v. 25. (c) Prov. 9. v. 4. seqq. (d) 1. Sam. 9. v. 2. seqq. (e) 2. Reg. 6. v. 25.

Samaria. Wenn die Esels-Köpffe wohlfeiler wären / könte mancher guter Mann sein Jahr-Korn umb bessern Preiß haben. Aber/aber/ tacendum & cogitandum. (f)

CAPUT VI.

DE ASINO CHRISTIANORUM MAGISTRO.

§. 1.

VErus Dei amator creaturis utitur pro *speculo*, dicente *S. Bernhardo.* Bestiæ non tantùm *specula Naturæ* sunt, ut ratus est *Tullius*, (g) sed quoque ipsius Dei, in queîs *omnipotentiam, sapientiam, amorem & justitiam* ejus mirabere. *Asinus* quotidie clamat: *accipe, redde, fuge!* accipe *beneficium*, redde *officium*, fuge *supplicium*. Accipe beneficium, quod Deus per me dat ex gratia, quoad *corpus & animam*: redde tu Ei *grates & obsequium*, ut 1. cognoscas, ames, servias, laudesque Dominum in secula benedictum, 2. temetipsum noscas, totumque Superiori tuo te tradas. 3. proximum diligas purâ mente, mecumq; Creatori famuleris. Fuge pœnas temporales & æternas. Hoc dicit, qui lingua & flagellum Dei est. (h) Prima vox *famulantis* est: accipe! officia & beneficia mea. Altera *admonen-* bestiæ nos docent,

N 3

(f) ita orthodoxus quidam Theol. in concione quadam, (g) L. II. de finib. (h) Syr. 40. v. 36.

monentis: redde! ultima *comminantis*: fuge! ita: *accipe, redde, fuge*. Accusabunt enim te olim, ni fidem dederis, feliciterque utaris, cuncta elementa & reliquæ creaturæ. (i) *Ammonius*, Philosophus Alexandrinus, *Origenis* & *Porphyrii* Præceptor, semper in scholam secum ducebat *asinum*, ut discipulis suis *ethicam asininam*, catam scilicet simplicitatem, tolerantiam, frugalitatem, & hujusmodi virtutes, (de quibus jam dicetur,) imprimeret. Est enim *asinus*.

asinus (1, Doctor patientiæ, §. 2. *Primò* Doctor *patientiæ*: famem sitemque tolerat, habet crucem in dorso, non excandescit ad opprobria, in utraque fortuna eundem servans vultum. *Esto* asina, *mea animula, non imitatione insipientiæ, sed patientiæ*. (k) *Victoria* tua super adversarium tuum *in patientia*, ajunt Arabes. (l) Et seu olitori, seu figulo, vel coriario famuletur *asinus*, eosdem ubique patitur manes. Pulcrè *Joannis*

ὄνος Stigelianus *Stigelii* ὄνος ἐπίπονος:

Quondam asinus *rigido jussus servire colono,*
indoluit sortis fata severa suæ.
Exiguumq; cibum accusans magnumque laborem,
sæpe alium cupidè siccus hiabat herum.
Tunc quoque jejuno plenos cum ventre quasillos
ferret, in hac fertur verba rogasse Jovem.

Jup-

(i) Vid. D. Gerhardi meditat. sacrar. 1. (k) S. Bernhard. serm. 7. in Psalm. Qui habitat &c. f. 69. (l) Vid. cent. proverb. Imperat. Muslimici à Tschernning. edit. p. 502. Adde Prov. 21. v. 11.

Juppiter, Arcadicis multum olim cognite sylvis,
Arcadium facili fer, precor, aure pecus.
Non ego nunc pellem fulvi *mihi posco* leonis,
sat premit hac nostrum fabula trita genus.
Des alium Dominum ; *dederis sic omnia ; tantum*
servitii durum deprecor hujus onus.
Annuit, & figulo *commendat Juppiter illum ;*
hac quoq; sors illi non toleranda fuit.
Imposito sudat Samia sub pondere terra,
atterit hirsutum tegula dura latus.
Sæpe etiam lapsus diffractis vapulat ollis,
junctaq; cum multo verbere probra tulit.
Ergo iterum ut Dominum misero mutare liceret,
multa facit summo vota molesta Jovi.
Accipit hunc, veteres solitus deglubere pelles,
impurâ cerdo *qui facit arte lucrum.*
Hic dum sera graves, labor ipsa senecta, labores
ingrato minimè grata recusat hero.
Occidit immerita pecus ictum verbere clava:
fataque detractâ pelle suprema subit.
Hei mihi, quàm frustra fato obluctatur acerbo,
qui meritis poscit præmia digna suis.
Sis asinus, *quemcunque* asinum *sors aspera fecit ;*
qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

§. 3. *Secundò temperantiæ,* seu *frugalitatis* magister. (2) frugalitatis

 gister.

gister. Victu utitur tenui, simplici & plebejo. Ex qua frugalitate fructus capit uberrimos, *quando & tardiùs deficit, quàm ullum aliud armentum; & morbis rarissimè tentatur, quibus assiduè conflictantur nostri* Philoxeni, Apitii, Gallonii, *ejusmodique* gurgites atque ventres, *qui, ùt* Pliniani sues, animam pro sale videntur accepisse, *ne tantisper, dum sunt in vita, putrescant.* (m) *Magnum vectigal* parsimonia, *non cupidum esse, non emacem esse;* vectigal; *contentum verò suis, maximæ & certissimæ divitiæ. Sapientes satis esse putant, quod est, nil appetunt, nullâ re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nil requirunt.* (n) Et Flaccus: (o) *non possidentem multa vocaveris rectè* beatum: rectiùs *occupat* nomen beati, *qui Deorum* (Dei) *muneribus sapienter uti, duramque callet pauperiem pati. Vivitur* parvò *bene.* (p)

Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil divitiæ poterunt regales addere majus. (q)

Rogatus ab Alexandro *Abdolonymus*, qua patientia inopiam tulerit: *hæ manus*, ajebat, *suffecêre desiderio meo, nihil habenti nihil unquam defuit.* (r) Ergo

quærat avarus ovem: *Numen mihi conferat* ovum;
quærat avarus opes, *det mihi Numen* opem. (s)

§. 4

(m) Passeratius in encomio asini (n) Cicero paradox. ult. (o) L. IV. carm. 9. (p) L. II. carm. 16. (q) Idem L. I. epist. 12. (r) Curt. L. IV. c. 1. (s) Frid. Hofman C. II. epigrammat. 55.

§. 4. *Tertiò* φιλοπονίας Professor. Cuique suum onus & labor: (t) imò cuique diei sua afflictio. (u) Videbatur *asino* hyems ob frigus & arida pabula admodum gravis, expetebat igitur ardentibus votis verni temporis viriditatem & teporem. Sed illo tempore cùm crebriore agitatione exerceretur, æstatem advenire optavit. Quæ cùm præter alios labores etiam onera frumenti ex area, & fructus ex hortis deportandos ipsi imponeret, reliquus erat autumnus, quem expectabat quietiorem. Sed per illum quoque vindemiæ & lignatus molestiis & defatigationibus pressus, ad hyemis reversionem desiderium suum retulit. Docet fabula, totam vitam in laborum tempora distribui. Ora igitur & labora. Non sufficit, *asino* in luto hærente, Herculis opem tantùm implorare, sed simul manus admovere. Hinc *Achilles Bochius*, (w)

(3) φιλοπονίας,

ora & labora

Tenaci asellus *quispiam infixus luto hærebat, cui succurrere agaso cùm deberet, Herculis fidem implorat otiosus, & asello inertior suo, Tirynthius respondit, ipse ut interim manus laboranti admoveret, atque ita Deum adfuturum sedulo; fac ergò, quisquis es, aliquid tute interim, deinde invocato numina.* φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός, *ad esse gaudet, sed* laboranti, *Deus.* (x)

§. 5. *Quartò* αὐταρκείας didascalus. Postquam

(4) αὐταρκείας

N 5

(t) Eccles. 6. v. 7. (u) Matth. 6. v. 34. (w) in emblemat. (x) Æschylus

quam immanissimos labores exantlavit, & quibus ne Hercules quidem par fuerit, vix sub multam noctem ab opere dimissus,& sub dio relictus, carduis, tribulis, paliuris vescitur, tàm arido horridoque pastu contentus. Visus aliquandò beatior equus, quòd copiosiùs pasceretur, sed longè miseriorem postea judicavit, ùt est in fabula. Graphicè de Veterum Germanorum conviviis *Conrad. Celtes*: (y)

Arborei fœtus & agrestia munera caules,
& rapum teneris faucibus esca fuit.
Pars hominum glandes, placidos pars maxima fagos,
& Cererem festa non nisi luce dabat.
Tunc laridum crudum fumosa in crate repostum,
& lac concretum splendida cœna fuit.
Nullis Germanis crevit tunc Bacchus in oris,
sed potus madidâ fruge beatus erat.
Ille dabat vires, solidos in corpore nervos,
ebriaque ex humulo semina pauca tulit.
Tunc puls ingentes implevit crassa patellas,
quam circum conjunx & numerosa domus.

Es ist besser eine Hand voll mit Ruhe/als beede Fäuste voll mit Müh und Jammer. (z) Ideò *Aglaus Psophidius* rectè prælatus est ab Apolline Pythio ditissimo Lydorum Regi *Gygi*. (a)

§. 6.

(y) L. II, Amor. eleg. 9. (z) Eccles. IV. 6. (a) Val. Max. L. VII. c. 1. n. 2.

§. 6. *Quintò prudentiæ*, seu *Philosophiæ primæ* interpres. Sicubi impegerit, posthac ibit cautiùs. *Quod si quis acumine ingenii & celeri mentis agitatione præditum esse nescit, doctissimorum hominum* Originis & Porphyrionis *fuisse condiscipulum ignorat: vitisque putandæ rationem abroso palmite Vinitores primùm docuisse, ob id lapideum asinum* Naupliæ *grata posteritatis memoria dedicatum, eademque de causa Romæ* asellorum *capita vite alligata fuisse in tricliniorum fulcris, ac* Liberum *Patrem eos in fidem suam & clientelam recepisse.* (b) (5) prudentiæ

§. 7. *Sextò simplicitatis* idéa, quam Salvator maximè commendat. (c) Deridetur quidem justi simplicitas. *Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur.* (d) Ad illud Matthæi: (e) Principes sacerdotum & scribæ indignati sunt, h. e. juxta German. adagium, die grosse Narren sind auf den Esel gesetzt worden/ ita *Brodbeck:* (f) (6) simplicitatis

N 6 *Post*

(b) Passerat. in encomio asini, Conf. S. II. P. I. c. 5. §. 6. (c) Matth. 10. v. 16. (d) Gregor. Papa Lib. Moral. X. c. 16. in c. 12. Job. (e) 21. v. 15. (f) C. I. epigr. sacr. 19.

Post asinam, hac asinum *conscendit turba furentem,*

ô asini, *cur non estis ut hac* asina?

Scilicet patientes, simplices & humiles. Certè Apulejus Madaurensis nunquam pervenisset ad Isidis sacra nisi in *asinum* versus. Vin' ad sublimia? si simplex, ne in te quadret istud *Attici Crani*: ἄνθρωπος ἥττων ὤν ὄνυ, *homo deterior est* asino: aut istud *Bernhardi*: (g) *annon tibi videtur ipsis bestiis quodammodo bestialior esse homo ratione vigens, & ratione tamen non utens?* Omnium horum ut perpetuò memor foret monachus iste Dominicanus, haud aliter quàm Broder Esel vocari voluit, dicens: titulum hunc *sublimissimæ excellentiæ* esse, *omniumq́; Cardinalium magnifica supergredi nomina*; Multos quidem apud vulgus esse *asinos*, at non sic vocari, cùm *non digni sint tanto eminentiæ titulo*, sed appetant alios, vanos tamen stultosque, se igitur nominari ab isto animali, quod ipsum tulerit Deum. Verè *Palingenius*: (h)

- - prob Dî, nunc nomina tantùm
magnifica, & claros titulos sibi quilibet optat,
arrogat, affectat, sequitur, rapit; ut meritò jam
& se asinus pardum *vocet, &* formica leonem.

(7) justitiæ § 8. *Septimò Justitiæ* exemplar. A pabulo semper abstinet alieno, suo, quod parca manus

(g) sup. Cantic, serm. 36. (h) in Virgine p. m. 145.

nus dederit, contentus. Bone Deus! quot lites nascuntur, quot *canes curiarum* (uti rabulas *Bartolus* vocat) saginantur ex *meo & tuo?* Si mortales quid hausissent ex præclara hac indole *asinina*, rectiùs utique viverent & beatiùs.

§. 9. *Octavò fidei* emblema. Vagatur sine custode, non cohibetur ergastulis, seu vinculis, ut equus, & tamen hero suo fidus est. Beatos vos, qui severitis ad aquas, ubi *bos & asinus* calcant, (i) i.e. qui in hac vita bene vixeritis, ut in altera præmia habeatis æterna. Darum möchten wir wohl / uti ex Lutero monet *D. Walter*, (k) für den Ochsen und Eseln unsere Hüte abziehen / und sie für unsere Præceptores erkennen / weil sie uns von GOtt vorgestellt sind / daß wir von ihnen sollen ein Exempel nehmen und lernen / wie wir GOtt unserm HErrn sollen gehorsam / (treu und danckbar) seyn. (8) fidei

---

CAPUT. VII.

DE FICTA ET SUPERSTITIOSA ONOLATRIA.

§. 1.

Blaterat *Apion*, *asinum* Judæis in vasto Arabiæ deserto vagantibus fontem monstrasse, ex quo sitim sedare possent. Inde bestiæ hujus Apionis mendacium.

(i) Esa. 32. v. 20. (k) in Postill. cit. p. 953.

hujus cultum religiosum esse, (l) de quo Petronius Arbiter sic:

Judæus licèt & porcinum Numen adoret,
& cilli summos advocet auriculas.

Per *cillum* more veterum Poëtarum *asinum* intelligit. Non enim legi debere *cæli*, ùt vult *Barthius*, (m) è *Vossio* liquet. (n) Et *Democritus* Historicus apud *Suidam* (o) de *asini* capite à Judæis culto garrit. Objectum siquidem, ùt dixi, abs *Apione* Grammatico & Polyhistore (qui *cymbalum mundi* à Tiberio Cæsare dicitur,) Judæis, ab *Antiocho Epiphane* repertum fuisse *caput aureum asini*, postea à gente cultum. Verùm os obturat *Josephus*, (p) *cor asini & canis impudentiam* objiciens blateroni. CL. *Kirchmeyer*, Professor Wittebergensis, Amicus & Collega Venerandus, (q) capita aliquot priora *Taciti* de rebus moribusque Judæorum explicaturus, hac de materia solenniter disputavit, (r) ubi cap. III. p. 8. seqq. pulcrè ad verba ista Taciti: *grex* asinorum *agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit*, ita commentatur: *ex aquarum è rupe vocatarum* (s) *miraculo commentum* asininum *fingit. Ita maledicentissimi gentilium Scriptorum à Judæis adorari* asinos *agrestes venditabant.*

§. 2.

(l) Conf. Tacit. L. V. hist. c. 4. & Plutarch. L. IV. sympos. quæst. 5. p. 670. D. (m) in Adverf. ad h. l. (n) L. III. de oblatis gentil. c. 75. (o) in voce Ἰέδας, (p) L. II. c. 10. (q) L. V. (r) anno 1676. (s) Exod. XVII. 6.

§. 2. Etiam inter execrandas *Gnosticorum* blasphemias & hæc apud *Epiphanium* erat (t) *de asino* Christianorum Deo. Carthaginensis iste jumentorum locator ante stabulum, ceu artis suæ insigne, appenderat tabulam, in qua depictus erat homo togatus, dextrâ tenens librum, de cujus capite *aures asinina* prominebant, cum epigraphe: *Deus Christianorum Ononychites*, i. e. *asini unguium*. (u) Hinc Christiani olim *asinarii* dicti, (w) cujus fabulæ originem *Selden*. (x) ex ipso fonte deducit. (y) De ultima tamen voce *Ononychite* variant Autores. Vide tu Antiquitates Biblicas D. *Joan. Conr. Diterici*, (z) & *Balthas. Bonifacium*, (a) qui peculiari capite agit de *capite asinino* pro Numine culto. Rectè interim sæpius laudatus D. *VValter*. (b) Salvatorem nostrum vocat einen Eselreuter. Aber (ejus ore loquor) wie wir üm des gifftigen Gespöts willen der Heyden / von unserm allerliebsten Eselreuter nicht ein Haar breit ablassen / sondern ihm zu Ehren

Gnosticorum blasphemia,

(t) hæres. 62. (u) Vid. Tertullian. L. I. c. 14. (w) Idem in apolog. c. 16. (x) de Dîs Syris Syntagm. 2. c. 17. p. 368 seqq. (y) Adde Dallæi L. I. de religiosi cultûs objecto c. 14. p. 134. Nic. Füller. miscell. biblic. L. III. c. 8. Kortholt tract. de calumniis Paganorum in veter. Christian. c. 1. Jac. Gaffarelli curiosit. inaudit. p. 15. 18. & 19. & Greg. Michaël. not ad eas p. 28. 31. seqq. Joh. Ernest. Ostermann, miscell. rer. Judaicar. c. 1. Hist. eccles. Gothan. L. I. c. 3. S. II. p. 370. (z) Tom. I pag. 426. (a) L. VI. hist. ludicr. 30. pag. 248. seqq. (b) Postill. citat. pag. 26.

Ehren alle Schmach gern nachtragen wollen / und uns an des Teuffels und seiner Werckzeuge Behönung nicht kehren 2c.

veteres Germ. deliria

§. 3. Veteres Germani etiam *asino* sacra fecêre, quem *Plutoni* consecratum, devotumque à Bohemis, *Dubravius* prodit, & *Cosm. Pragensis.* (c) De *Cher Seiri* in Persia (von den Esels-Heiligen) videatur *Adam Olearius*, studiorum meorum, dum viveret, Fautor singularis. (d)

Esels-Heilige

tauri cultus

§. 4. Ethnica hæc superstitio, at quid si inter christianos longè stultior adhuc vigeat? Næ in Hispania in oppido *de las Brocas* taurus hodie non quidem colitur, sed ad cultum adhibetur. *Res sic habet,* ait *Raphaël de la Torre* (e) *innumeris testibus comprobata. Præfecti confraternitatis, quæ dicitur Sancti* Marci, *singulo quoque anno, in vigilia celebritatis ejusdem Divi, pergunt ad montes, ubi* taurus *pascitur: ac denudato capite, interpellant* taurum, *ac jubent in nomine Domini & Divi Marci, ut adsit ejus festivitati,* Taurus *verò relictis vaccis, ipsos Præfectos sequitur, vel saltem permittit se solùm duci. Atque ingrediens ecclesiam, refertam numeroso populo utriusque sexûs, deposita ferocitate, mansuetus adest juxta altare dum divina officia celebrantur, tàm in vigilia quàm in die celebri: ita ut*

(c) in chron. Bohem. pag. 8. edit. Hanov. Add. Hachenberg. diss. 8. de German. media §. 23. p. 279. Voss. de origin. & progressu idololatr. L. II. c. 33. pag. 481. (d) Itin. Persic. L. V. c. 41. (e) Summ. Theolog. T. II. p. 310.

ut pueri & femellæ cornua ejus attrectent, & inde corollas suspendant. Peractu verò officiis divinis *dimittitur, vadens magno impetu, & quasi restitutâ pristinâ ferocitate.* Et quod amplius est, *ubicunque fundatur consimilis fraternitas, consimile miraculum tauri mansuefacti editur.*

CAPVT VIII.
DE SACRIFICIIS ASININIS.

§. I.

Est quidem *asinus* à sacrificiis exemtus: (f) potest enim pretio redimi, & ovis pro eo commutari. Apud gentiles tamen *Priapo* immolabatur & *Apollini*, (g) num illi in ultionem & ludibrium, quòd, cùm is Deus *Vestæ* dormientis pudicitiæ insidiaretur, illa intempestivo *aselli* clamore excitata insidias effugit? sacrificatur asinus (1) Priapo

Caditur & rigido custodi ruris asellus,
causa pudenda quidem est, sed tamen apta Deo. &c.
At ruber hortorum Deus & tutela Priapus,
omnibus ex illis Lotide *captus erat.*
Hanc *cupit, hanc optat: sola suspirat in illa,*
signaq; dat nutu, sollicitatq; notis. &c.
Vt tetigit niveæ secreta cubilia nymphæ,
ipse sui flatus, ne sonet aura, cavet.

O Et

(f) Exod. 13. v. 13. (g) Beyerling. Th. V. H. tit. de ethnicorum religione quoad formam.

Et jam finitima corpus librabat in herbas:
illa tamen multi plena soporis erat.
Gaudet, & à pedibus tracto velamine, vota
ad sua felici cœperat ire via.
Ecce rudens rauco Sileni vector asellus
intempestivos edidit ore sonos.
Territa consurgit nympha hæc, manibusque Priapum
rejicit, & fugiens concitat omne nemus.
At Deus obscena nimium quoq; parte paratus
omnibus ad Lunæ lumina risus erat.
Morte dedit pœnas auctor clamoris, & hæc est
Hellespontiaco *victima grata* Deo. (h)

Et alibi: (i)

- - *referamne tuum, rubicunde* Priape,
dedecus? est multi fabula plena joci.
Turrigera frontem Cybele redimita corona,
convocat æternos ad sua festa Deos,
Convocat & Satyros, & rustica numina Nymphas:
Silenus, *quamvis nemo vocârat, adest.*
Nec licet, & longum est, epulas narrare Deorum:
in multo nox est pervigilata mero.
Dî temere errabant in opacæ vallibus Idæ,
Pars jacet, & molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos somnus habet; pars brachia nectit,
& viridem celeriter pede pulsat humum.

Vesta

(h) Ovid. L. I. Fastor. (i) L. VI. Fast.

Vesta *jacet, placidamque capit secura quietem:*
sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos Nymphasque, *Deasque*
captat: & errantes fertque refertque pedes.
Adspicit & Vestam: *dubium est, nymphamne putarit?*
an *scierit* Vestam? *scisse sed ipse negat.*
Spem capit obscenam, furtimque accedere tentat:
& fert suspensos corde micante gradus.
Fortè senex quô vectus erat, Silenus, asellum
liquerat ad ripas lene sonantis aquae.
Ibat ùt inciperet longi Deus Hellesponti,
intempestivo cùm rudit ille sono.
Territa voce gravi surgit Dea; convolat omnis
turba: per infestas effugit illa manus.
Lampsacus hoc animal solita est mactare Priapo,
hinc asini *flammis indicis exta damus.*

Rentur alii, alterum ex duobus *asinis*, quos *Liber* in cœlo collocavit, humanâ voce cum *Priapo* de natura rerum certare ausum esse, at victum & sacrificatum. Alii ob *pudendum* prolixum, quô *Priapum* certantem superabat, factum putant. Hinc ille:

Et Tiguri custos armatus falce saligna,
sed non & vasto est inguine *terribilis.*

Huc asiniga *veni, fessus jam sudat* asellus,
parce illi, vestrum delicium est asinus.

Apud Romanos virgines, *asinis* insidentes, ad templum *Priapi* vectæ, ter id circuibant, & in quem sors cadebat, Deo mactabatur *asinus*, cujus cruorem colligentes in faciem ejus projiciebant. (k)

(2) Phœbo, §. 2. Sed cur *Phœbo* cæsus? mortem minatur *Apollo*, nisi ab *asini* sacrificio abstineat alius. Hoc enim sacrificio se gaudere ait, si id fiat apud *Hyperboreos*. Quem ritum cum *Cleinis* Babylone invehere vellet, cum omni familia in *aves* mutatus fingitur. (l) Sacer videtur ei propter assultus, quos indicio vivacitatis in cæde facit, difficulterque occidi solet, magnis licèt ictibus percussus? inde adagium: Τέρπουσι λιπαρῇ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι, *exhilarant Phœbum pingues ex* asino *epulæ, dicente* Callimacho. Confer interpretem Homeri, (m) varia victimarum genera recensentem, quas ἡλίῳ Ἀπόλλωνι faciebant, atque inter solares istas victimas etiam numerat agnos, oves, *asinos*, equos, ratione hostiarum sigillatim redditâ, cur Deo νομίῳ (pastorali) καὶ ζωτρόφῳ promiscuis variisque victimis sacrificarint. *Asinus* Apollini haud est invisus, ut Cereri *porcus*, & *caper* Baccho sed quod esse constat κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, ut Lyricorum Princeps

(k) Aldrov. l. c. p. 162. B. (l) id. l. a. p. 158. (m) ad iliad. α.

ceps ait, quæ Phœbo immolantur ùt Junoni *pavones*, & Veneri *columbæ*.

§. 3. At cur *asinus Baccho* sacer? *ferulæ asinis* gratissimæ sunt, ait *Plinius*, (n) in pabulo, ceteris verò jumentis præsentaneum venenum, qua de causa id animal *Libero* Patri assignatur, cui & *ferulæ*. At *Justinus Martyr* in oratione ad *Antoninum Pium* ita: *quòd scilicet gentes dicta Prophetarum audientes sensum eorum non rectè intellexerint, sed hallucinantium more res Christi sint æmulati. Moses Propheta scriptoribus omnibus fuit vetustior.* Ab hoc enim: (o) *non deficiet ex Juda, & Dux è lumbis ejus, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vitem pullum suum, lavans stolam suam in sanguine uvæ. His verbis auditis, Dæmones Dionysium Jovis filium esse dixerunt, inventoremque vitis prodiderunt, &* asinum *in mysteriis & arcanis ejus sacris duxerunt, & dilaniatum eum ascendisse in cœlum docuerunt. Et quia in Mosis prophetia expressis verbis designatum non erat, num adventurus ille Dei filius esset futurus, & utrum pullo vehens in terra mansurus, seu in cœlum ascensurus? atque pulli nomen æquè* asini *& equi pullum denotet, nescientes*, asinine *an equi pullum ducens symbolum & signum adventus & præsentiæ suæ habiturus, qui pranunciabatur: & utrum Dei an hominis futurus esset filius, Bellerophontem quoque* (3) Baccho

O 3 *ipsum*

(n) L. XXIV. c. 1. (o) Gen. XLIX. 11.

ipsum hominem ex homine genitum in equo Pegaso in cœlum pervenisse pronunciârunt.

(4) Marti. §. 4. Scythas denique *Marti* sacrificasse *asinos*, testes sunt *Arnobius* & *Clemens* Romanus. (p) At num propter bellicum clamorem? idem fecêre *Carmani*, teste *Strabone*. Sed cur *muli Lunæ sacri*? quia hæc æque sterilis ac illi, vel quòd *mulus* non suo genere, sed equis creetur, ùt Luna haud suâ radiat luce. *Domine Deus, quacunque dixi de tuo, agnoscant & tui: si qua de meo, & Tu ignosce, & tui.* (q)

cur Muli Lunæ sacri?



SECTIO QUARTA

Qua

PRACTICA,

Continens usum Asini specialem, tàm internum quàm externum.

CAPVT I.

DE USU ASINI IN AFFECTIBUS SUPREMÆ CORPORIS REGIONIS.

§. 1.

In cephalalgia.

asinus ad omnia utilis

Q*Vod nobis plura, quàm* asinus, *remedia subministrari*

(p) L. X. recognit. f. 110. (q) Augustin. L. XV. de Trinit. c. ult.

ministraret, *animal ferè nullum habemus*, ait *Aldrovand.* (r) & Cipolus monachus : (s) *quanti verò sunt, qui ex eo capiuntur usus? nemo fere tam felici poßit esse memoria, minimam ut horum partem recensere valeat : adeò minima quaque hujus bestia pars, nisi mentiuntur praclari scriptores, mirabiles habet vires.* Idque latiùs nunc probandum erit. Opem scilicet spondet in *cephalalgia. Michaël* Linnweber / rusticus perfectè quadratus, olitoris agens mercede caballum, in aqua verbenæ & florum sambuci bono cum successu bibit *aurium asini sordes.* Alter faciebat sibi ex farina hordei cum *lacte asinino* epithema. (1) in cephalalgia,

§. 2.

In vigiliis nimiis.

Sordes eædem *aurium* temporibus illitæ conciliant somnum. (t) Tentarat hoc *VValteri* Bornegels uxor, malo hactenus vecta *asino*, inde verò insomnia turbulentissima. Ardeæ rostrum in *corio asini* fronti alligatum commendant alii, jubent etiam cum felle cancri *corio* hujusmodi involvi & appendi. (u) Dedimus nuper linimentum tale; (w) (2) in vigiliis nimiis,

℞. Sevi caprin. linimentum

pingued. lupin. an. unc. sem.

O 4 *sordi-*

(r) loc. cit. pag. 163. (s) in oratione funebri asini Ponocratis, (t) Macas. Prompt. mat. med. Lib. post. pag. 572. (u) Mich. Pabst / im Leib- und Wundartzney-Buch Part. I. p. 189. (w) Lycograph. S. III. c. 1. §. 4.

sordium ex auribus asininis scrup. quatuor,
ol. papav. alb. drachm. unam.
Fiat liniment.

Quô ungantur tempora & plantæ pedum.

§. 3.

(3) in delirio

In delirio.

Omnibus aliis palmam præripuit *sanguis asininus*, experientiâ *Clauderianâ* (x) & *Schmidianâ.* y) Γυναικοκρατέμεν⊙ siquidem nobilis eodem restitutus esse dicitur. Sic autem parat ille secundùm manuductionem *Hartmannianam.* Dum scilicet *sanguis asini, vel asinæ,* mense Martio, seu Aprili, Lunâ decrescente, *circa aures* evacuatur, linteolis mundis excipitur, & ita siccus usui servatur. De hoc linteo capitur frustulum, duos pollices longum, & duos vel tres digitos transversos latum, infunditur in aqua *anagallidis, fumariæ,* vel similis, usque ad coloris rubei extractionem. Haustus iste propinatur manè, tribus diebus ita repetendo, & expectato semper in lecto sudore. *Henricus* Domherr usus erat cataplasmate:

cataplasma

℞. ferment. acerrim. unc. tres
stercor. asin. exsiccat. unc. unam
sal. culin. unc. unam cum dimid.
acet. flor. sambuc. q. s. f. cataplasma.

Capite

(x) Dec. II. Ephem. curios. ann. III. obs. 83. (y) in observat. MS.

Capite infirmo & *vertigine* laborantibus *lac* profuisse ajunt, fide tamen non adeò digni.

§. 4.

In melancholia.

(4) in melancholia

Cl. *Macasius* (z) & Schröderus (a) commendant *sanguinem asini post aures* vere exceptum. Expertissimus *Mynsicht* (b) astra super tollit *tincturam* suam *hyperici* in *melancholia*, mania, dementiis, fascinationibus & incantationibus, nec non in imminuta & abolita phantasia, & ratiocinatione. Imbecillitatem enim, hebetudinem, stupiditatem, torporemque mentis, & tarditatem ingenii emendat, & quantum per Artem licet, corrigit, & omnes imaginationum effectus tollit feliciter. Insuper urinam cit: menstrua pellit, tertianis & quartanis succurrit: morbis quoque renum & vesicæ prodest. Dosis à cochlear. tribus ad quatuor bis in die, mane scilicet ante Solis ortum, & vesperi eundo cubitum. Sic autem paratur:

tinct. hyperic. Mynsichti

℞. succ. herb. & fl. hyperic. expr. & depurat. lib. duas
anagallid. cum flor. purpur. expr. & depurat. lib. unam
sanguin. asin. ex venis post aures extr. lib. sem.
flor. bugloss.

O 5 ros.

(z) lib. cit. Sect. XIII. c. 18. p. 599. (a) Pharmacop. Medico-chymic. p. m. 269. (b) Sect. II. armament. Med. chym. p. m. 50.

flor. rof. rubr.
anth. an. drachm. fex
conf. alcherm.
caff. lign. an. unc. fem.
croci orient. drachm. un.
Infund. per noct. & B. M. deftillent, ad fecundum cohobium.
℞. hujus aquæ lib. duas
effent. flor. hyperic. cum fpiritu vini extract. unc. fem.
ftent in loco tepido per noctem, mane aliquoties filtrentur, donec tincturam rubicundiffimam, rubini inftar, accipias, quæ facch. cand. alb. f. q. edulcoranda, & ad ufum fervanda. (c)
Bonâ fide mihi retulit Amftelodami *Jacob. Hoderus*, Artis noftræ Candidatus, & in omni Mufica incomparabilis, Weftfalam nobilem in hoc affectu multum aliquando effeciffe aquâ fequente:
aqua nobilis ℞. *cor. afin. num.* I.
fol. betonic.
hyperic.
fcolopendr.
meliff.
fl. fambuc.
lupuli
rof. rubr.
borragin. an. Man. fem.
fem. anis.
aqui-
(c) Conf. Angel. Salæ myrothecii Sect. VII. p. 798.

sem. aquileg. an. drachm. tres
cinamom. acut. unc. sem.

Concis. & contus. macerent. in vin. rhenan. lib. un., aq. meliss. beton. & salv. an. unc. un. cum dimid. Destillent. & serv. ad usum.

Joannes Staricius (d) laudat chrysolithum excavatum, *piliq; asininis* repletum.

§. 5.

In Mania. (5) in mania

Panni lintei *sanguine asini* è venis post aures justo tempore imbuti infundantur in s. q. aquæ anagallid. & flor. hyperici, donec aqua tingatur. Excitat sudorem egregiè, & sumitur bis vel ter. Solo hoc medicamine D. *Michaël*, Medicus λόγῳ καὶ πείρᾳ excellentissimus, in aula Altenburgica *maniacum* restituit. (e) Clarius *Sennertus* ita: (f) *venas post aures* aperiunt, *sanguinemq;* linteolis mundis, nulli usui antea expositis, excipiunt, eaque siccant, atque ex his unum *digitos duos* latum, *pollicem* verò longum, accipiunt, & in haustu *aquæ fontanæ* macerant, aquamque illam mane *tribus diebus* exhibent, dantque operam, quantum possibile, ut æger sudet. (g) Et *Hartmannus* testatur, (h) fabrum quendam lignarium hoc remedio fuisse restitutum.

D. *Joh.*

(d) im Helden-Schatz Part. VI. pag. 516. seq. (e) Fr. Hofman. L. I. M. M. c. 19. p. 291. (f) L. I. Prax. P. 2. c. 15. p. 421. (g) Adde Schröder. pharm. Med. chym. L. V. class. 1. p. 269. & Macas. lib. cit. p. 606. (h) prax. chymiatr. p. m. 55.

D. *Joh. Zachar. Fürst*, Medicus nunc Electoris Trevirensis, (i) & *Phil. Grüling.* (k) etiam remedii hujus vires commendabunt. *Zacharias Dremer* urebatur cinere picæ, epate lucii piscis an. drachm. an. bacc. laur. scrup. un., in aq. hyperic., instill. gutt. 50. *sanguin. asin.* *Valentinus Wittop* in aq. chamomill. & papav. errat. cochl. *sanguin. asinin.* sumsit pro conciliando somno.

observ. alia

§. 6.

In Paralysi.

(6) in paralysi,

Membrorum atrophiæ & *paralysi*, podagricisque doloribus subvenit unguentum *Schröderianum*, (l) quod tale:

unguentum

℞. *urin. pulli asin.* &
ungul. asin. incinerat.

subige, addendo *axung. asinin.* cum tantillo olei spicæ ind. ad odorem, f. unguent.

Efficax etiam unguentum anserinum, *medullâ crurum asini* nobilitatum, apud *Sennertum*: (m)

aliud

℞. anser. veter. pingv. suffocetur, deplumetur & exenteretur. Exenterato inde ceram flav. butyr. ovill. & salis commun. an. unc. duas
pingued. vulpin. unc. tres
cati sylvestr. unc. duas cum dimid.
porcin. unc. duas

human.

(i) in disp. inaug. de mania, habit. Erfurt. 1674. §. 29.
(k) L. I. Prax. P. I. c. 3. p. 28. a. (l) l. c. p. 269.
(m) L. I. Prax. P. II. c. 27. p. 540.

human. unc. un.
Medull. crurum asini,
bovis,
cervi ana unc. un. cum dimidia
Pulv. thuris
farin. fabar.
siligin. ana unc. duas
repleatur & consuatur, veruque transfigatur & assetur, vel ollæ vitreatæ inditus lento igne assetur: ubi cavendum, ne aduratur. Liquor exstillans servetur usui.

Urinam asini in hoc affectu laudat quoque *Macasius*. (n) Et *Georgius* Eichborn/ Westfalus, præmissis præmittendis, inter alia ad partes vocavit *urinam asinæ* & pueri sexennis, in qua macerabat lumbricos terrestres, eaque lavit partem affectam. observ.

§. 7.
In incubo.

(7) in incubo

Incubum *Franciscus Joël*, (o) pro mero Dæmonis ludibrio habet, & non pro malo physico. Sed cespitat Vir doctissimus. Sunt, qui *pellem asininam* pro tegumento capitis usurpant. (p) Laudat eandem *Wolfius* noster, Prof. Jenensis, (q) & *Frid. Hofmann.* (r) nec sine successu eâ usus est scriniarius *Brakelensis*, qui sancte mihi asseverabat, malum hoc non

(n) l. c. p. 622. (o) Prax. S. III. p. 191. (p) Macas. lib. cit. S. XIII. c. 20. p. 636. (q) de amulet. S. I, s. 2. p. 226. (r) L. I. M. M. c. 19. p. 289.

non quidem planè sublatum, valde tamen imminutum esse ab hujusmodi tegmine.

§. 8.

(8) in epilepsia (r) interne

In Epilepsia.

Henricus Petraus, celebris sui temporis Doctor in Acad. Marburgensi, (s) in genere commendat *asini cerebrum*, *cranium*, *hepar*, *sanguinem*, *lac*, *carnem*, *testes*, *ungulam*, *splenem*, *secundinas & stercus*, quod *Daniel Schullen* à scrupulo uno ad drachmam dimidiam dabat Luna decrescente in aqua appropriata. *Cerebrum* in foliis infumatum, ex aqua mulsa ad unc. semis per quadraginta dies potum, teste *Plinio*. *Cranium* (t) offert *Macasius*. *Cor* ex *asino* mare & nigro cum pane comestum alii. Novimus tamen infaustum hujus rei successum, scripsit nuper *Georg. Rosenwald*, Med. Licent., putoque pro *lupino*, empiricum substituisse *asininum*. Istud verò commendavimus nuper. (u) Rectè etiam Autor der armen Leute Leib-Medici. (w) Pulverisiret ein gantz Wolffs Hertz / das gebt auf dreymahl ein. Der Patient wird zwar davon sehr kranck / als wolte er sterben / aber es schadet ihm nichts. *Jecur* à jejunis sumatur assatum, (x) *Testes* sale conditi dentur in *lacte asinino*. *Hepar & lac*, (y) imò *stercus*

(s) Vol. I. dissert. harmon. 6. p. 112. (t) l. c. p. 641. (u) Lycograph. S. III. c. 1. p. 130. seqq. (w) pag. 720. (x) Schott. Phys. curios. L. VIII. c. 7. p. 800. Sennert. L. I. Prax. P. II. c. 31. p. 607. Fischer. in corp. med. L. III. p. 242. (y) Macas. l. c. p. 641.

cus non temnendum est. (z) *Carnem* per quadraginta dies bibendam dabunt alii. Sanè *Philippus Ludovicus Ebenus*, Physicus Memmingensis, (a) puerum sistit XV. annorum, qui, præmisso purgante, crebriori esu *carnis corvi* assatæ à caduco perfectè sanatus est. *Sanguinem asini*, aliorumque animalium, felis nempe vel pulli nigri, post aurem ex sectum, & ad guttas aliquot exhibitum, pluribus attulisse auxilium, scribit Excell. D. *Dolaus* (b) De *ungula* (c) combusta, (d) quam in morbo comitiali *alcis vicariam* vocat *Schröder*, (e) per integrum mensem diebus continuis ad drachmam dimidiam data vide Autores. At *Crato* (f) *alcis ungulam* prorsus invalidam censet. Lege sîs censuram D. *Ludovici* (g) de *ungula asinina*. Cinis ex *eadem* per multos dies, (mensem vult Plinius) ad pondus trium aureorum cum dimidio, potatus maximè prædicatur. Simpliciter de cinere evolve *Schröderum*. (h) *Balthasar Brunerus* (i) sequentem dabit pulverem, quem etiam laudat *Becker*. (k)

℞. rad. pentaphyll. — pulv. antepilepticus
pœon.
angelic.

(z) idem l. c. p. 642. (a) Centur. observ. posthum. num. 99. (b) Encyclop. med. L. I. c. 9. p. 158. (c) Macas. l. a. p. 643. (d Fischer. l. c. p. 243. (e) l. c. p. m. 269. (f) L. VI. epist. 24. (g) diss. 1. de pharmacia moderno seculo applicanda p. 512. (h) lib. dict. p. 269. (i) consil. med. XIII. p. m. 84. (k) L. II. Med. Microcosmic. c. 4. p. 113.

angelic. an. ſcrup, duos
eryng.
gentian. an. drachm. dimid.
Viſc. quer.
fol. pentaphyll.
betonic.
Herb. paralyſ. ana ſcrup. un.
flor. lil. convall.
ſem. coriandr. præp.
ſeſeleos ana ſcrup. dimid.
pœon. ex cortic. ſcrup. unum
Corn. cerv. præp. drachm. duas
Vngul. alcis
aſin.
corall. rubr. præp.
margarit. præp.
ungul. med. pedum lepor.
coagul. lepor. ver.
ſem. palm. Chriſt. ver. ana ſcrup. unum
raſ. cran. human. in part. anterior. drachm. unam cum dimid.
ſacch. cand. unc. unam.
M. F. pulv.

Doſis eſt quantitas, quæ aureo nummo capi poteſt, horis circiter tribus ſeu duabus ante & poſt ſingulas Lunæ quadrantes, vel ſimpliciter, vel cum aqua picarum, hirundin. &c. vel cum brodio gallinæ non ſalito, danda. D. *Birling*, Amicus noſter, (l) dabit hunc :

alius ℞. fol. betonic.
hyſſop. quin-

(l) in appendic. varior. medicament. c. 20. p. 117.

quinquefol.
Herb. paralys. ana unc. unam
Rad. pæon.
bryon.
eryng.
gentian. ana unciam unam
lign. visc. quercin.
coryl.
sem. coriand. præp.
pæon. excort. ana drachm. quinque
Corn. cerv. philos. unc. unam cum dimidia
ungul. alcis unc. sem.
ras. corn. cerv. drachm. sex
flor. pœon.
lil. convall.
viol. purp.
tiliæ ana unc. dimid.
fol. auri num. XII.
corall. alb.
rubr.
margarit. præp. ana drachm. duas
chamædr. unc. semis
unguium anterior. pedum medior. lepor. scrup. un.
oss. de corde cervi num. VIII.
ungul. asin. præp. unc. duas, drachm. duas & scrup. duos
ras. cran. human. unc. unam. M. F. Pulv.

Kohlreuteri pulverem vide sîs apud *Sennertum*

tum (m) & *Birlingium*, (n) nec non *Döreri* apud *Beckerum*, (o) qui talis:

alius ℞. fol. betonic.
hyssop.
quinquefol.
Herb. paralys. ana unc. dimid.
rad. bryon.
pœon.
eryng.
gentian. ana unc. dimid.
lign. visc. quern.
coryl.
coriand. præp.
sem. pœon. excort. ana scrup. octo
corn. cerv. ust. præp.
ungul. alcis ana drachm. duas
unicorn. drachm. tres
[*Birling habet rasur. cornu cervi unc. unam cum dimidia*]
Flor. pæon.
lil. convall.
viol. purpur.
tiliæ ana drachm. tres (alii habent drachm. un. cum dimid.)
fol. auri puri num. sex
corall. alb.
rubr.
margarit. præp. ana drachmas duas
chamædr. drachm. duas

unguium

(m) L. 1. Prax. P. 2. c. 31. p. 608. (n) lib. cit. p. 121.
(o) L. II. Med. microcosm. c. 4. p. 113.

unguium anterior pedum medior. lepor. drachm. unam

[*Birling. habet genic. lepor. unc. sem.*]

coagul. lepor. vel hædi drachm. tres

[*Birling. habet coagul. hædi tantùm*]

oss. de corde cerv. num. quatuor

[*Birling. addit sanguin. alb. ppt. unc. unam*]

ras. part. anterior. cran. drachm. tres

ungul. asin. scrup. quatuor.

M. F. Pulvis

Pulvis *Plateri* (p) hic est: alius

℞. cran. human. drachm. unam

ungul. asin.

ciner. hirundin. ana drachm. sem.

rasur. ebor. scrup. unum

corall. rubr. drachm. unam

margarit. præp. drachm. sem.

auri limati scrup. unum

sem. pœon. drachm. semis

diamosch. scrup. unum.

M. f. pulv.

Samuel Lüner diversis epilepticis dabat pulverem suum angelicum, ex hepat. hirundin., lapid. carpion., sterc. vaccæ nigerrimæ, cranio homin., & corall. rubr. confectum, quô successu autem, expiscari haud poteram. *Catharina Klôschin* parabat suum è *sterc.* ciconiæ, pavon. & *asin.*, nec non cornu cervi. Agyrta ex cranio, *ungul. asin.*, corde corvino & sterc. pavonino magni æstimabat suum, & alius alius alius

P 2 præ-

(p) T. I. p. 86.

præservationis gratiâ semper in novilunio propinabat. *Cranium* nil agit, teste *Erasto*, (q) &c. licèt contrarium defendat *Helmontius*. (r) *Pavonis* autem *stercus* cum vino ad drachmam unam Lunâ silente sumtum prædicat *Borellus*. (s) *De corde corvino* jam diximus. Cur verò in *novilunio* morbus hic puerilis frequentior? optimè *Higmorus*: (t) *humores scilicet acres, denegatâ humiditatis permixtione, (quâ cerebrum in plenilunio scatet,) acredinem majorem & malignum concipiunt, cerebrumque lacessunt, motusque illos inordinatos causantur.*

electuar. *Beckherus* (u) ex *Hollerio* sequens affert *electuarium* antepilepticum:

℞. ossis calvar. human. unc. unam
sem. pœon. mascul.
rad. ejusdem. an. drachm. duas
salv.
hyssop.
rut. sicc. ana drachm. duas
fl. rub. anagallid.
borragin. ana pugill. un.
sem. atriplic. drachm. un.
ungul. asin. tusæ
tali suilli
rasur. ebor.

corn.

(q) disp. advers. Paracelf. P. IV. Smet. Miscellan. L. II. c. 52. p. 120 C. Hofman. paralip. offic. S. II. c. 19. p 649. (r) de magnet. vuln. curat. §. 51. Conf. Sennert. L. I. prax. P II. c. 19. p. 649. (s) C. III. obs. 15. (t) disquisit. anat. L. III. P. I. cap. 6. pag. 209. (u) L. II. Med. microcosm. c. 4. p. 116.

corn. cerv.
corall. rub. ana drachm. duas
diamargar. frig. & calid. an. scrup. unum
M. f. pulv. ex omnibus.

Deinde incorporentur in conserv. anth. & borragin. ana unc. un. cum dimidia, mellis cum aceto scyllit. ad crassitud. coct. unc. duab. theriac. & mithridat. ana drachm. duab. M. pro opiata.

Felicis Plateri electuarium hoc est: (w) aliud

℞. ciner. hirundin.
ungul. asin.
cran. human. cremat.
rad. pæon.
visc. quercin. ana drachm. duas
rad. pyrethri drachm. unam
herb. hyssop.
poly montan.
dictamni cretic.
fl. stæchad. ana drachm. dimid.
sem. viticis
pœon.
sem. ocimi
gallitrich. seu scarleæ
siler. montan. ana drachm. unam
spicæ
macer.
cubebar ana drachm. dimid.
corall. utr. drachm. duas
coagul. lepor. drachm. unam

(w) L. I. observ. p. m. 20.

F. c. s. q. syrup. de pœon. recent. elect.
Dosis per vices ad drachmam unam & dimidiam.

antidotus Plateri

Ejusdem *Plateri antitodus* componitur ita: (x)

℞. cran. human. unc. dimid.
rad. pœon. drachm. duas
tormentill.
aristoloch. rotund.
filipendul.
pentaphyll.
dictamni ana drachm. un.
Visci quern. drachm. duas
scyllæ præp. drachm. un. cum dimid.
agaric.
fol. hyssop.
majoran. ana drachm. duas
flor. stæchad.
lavendul. ana drachm. un.
sem. pœon. drachm. un. cum dimid.
gallitr. drachm. un.
sesel.
ocym.
nasturt. ana drachm. sem.
cinamom.
cubebar.
cardamom.
Nuc. mosch. ana drachm. un.
piper. long.
zingib. ana drachm. sem.

pulv.

(x) Tr. I. pag. 87. seq.

pulv. diamosch. dulc. scrup. duos
plir. arch.
diamarg. frig. ana scrup. un.
ungul. asin. drachm. duas,
ciner. hirundin. & cuculi ana drachm. un. c. dimid.
ras. ebor. & corn. cerv. ana drachm. sem.
coagul. lepor. drachm. duas
benz.
mastich.
ammoniac. dissolut. in acet. scyllit. ana drachm. un.
c. Mell. scyllit. M.

Sic internè, ita externè: (z) externè
Asini frons in corio alligata: (y) & chorda ex *corio asinini* capitis non præparato & spatio annuo circa caput gestata ita laudatur, ut non aliquem sinat labi seu affligi insultibus epilepticis. *Membrana* post *partum* relicta, præcipuè si marem pepererit, solo odore morbum compescit caducum. Si *annulus* fiat ex *albis ungulis asini*, eumque induat epilepticus, immunis erit à morbo, dicente *Fischero* (z) *Adipem* quoque commendant, seu potius *medullam asininam*. Est etiam *urina pulli* nardo admixto pro inunctione. *Bald. Ronsæus* (a) varia *amuleta antepileptica* simul jungit, dicens:

P 4 Hinc

(y) Wolf. de amuletis S. I. c. 2. p. 125. (z) lib. dict. p. 245. (a) Venat. med. p. 54.

Hinc poterit varias asinus *praestare medelas*;
apponunt alii variis prophylactica *membris*,
annellos *siquidem tornant ex* crure, *vel* ungue,
quos gestare jubent digitis, si invaserit antè morbus, at observent, ne quâ nigredine *corpus sit* tinctum: *multis laudatur de* cute frontis fascia, *constringunt quâ nodos articulorum*,
atque alii faciunt hirto de tergore zonam.

Num annulus S. *Eduardi*, Angliae Regis, comitiali hoc morbo laborantibus salutaris, quo de vide *Kirchmannum*, (b) ex *ungula alcis*, quae fufpicio *Thomae* nostri *Bartholini* est, (c) vel *asinina* fuerit, disquirant curiosi. (d)

§. 9.

In apoplexia.

(9) in apoplexia Inter *antapoplectica* remedia *Macasius* (e) etiam retulit *sanguinem* ex *aure asini molaris*. Mulier pagana ex utero deliquium animi

observ. passa à viciniis habetur pro *apoplectica*. Opilio ejus loci (num ex simplicitate seu malitia?) dicit, se multa quondam salutaria audivisse de *cauda*, naribus applicanda, nefcire autem, an *equina*, seu *asinina* esse debeat? maritus ocius in stabulum currens *asino* fuo amputat *caudam*, eamque sanguinolentam admovet uxoris naribus, sicque eam è veterno excitat.

§. 10. *In*

(b) de annul. cap. 21. (c) de morb. biblic. cap. 19. pag. 85. (d) Vid. sis etiam Velsch. Hecatost. med. I. obs. 15. pag. 25. (e) l. c. Sect. 1[illegible]c. 23. p. 651.

§. 10.

In ophtalmia, aliisque oculorum vitiis.

(10) in ophtalmia aliisque oculorũ vitiis

Caspar Cretarius in calida *ophtalmia* cum rubore & insigni dolore imponebat:

℞. Aquæ rosar.
lactis asinin.
fl. chamomill. ana p. æqu.
croci parùm.

Melchior Schneithard, Brunsvicensis, medebatur sibi sanguine, ex alis columbarum juniorum expresso, & sanguine muriũ ana drachm. ʒ. Misc. cum *lact. asin.* in form. collyrii. In *pterygio oculorum* tollendo *cinis asini* cum lacte muliebri utiliter instillatur. (f) *Vngulæ* valent ad *leucomata* discutienda, scobe scilicet earum tenuissimè cum lacte muliebri mixt. & inunct. *Fridericus* Hocker/ barbitonsor dederat puellæ hoc: — obserν. — alia

℞. Mell. despumat. drachm. un. cum dimid.
succ. fœnic. unc. sem.
fell. anguill. drachm. tres,

addens; majoris efficaciæ fuisse, si *felle asini* potiri potuisset.

In *nyctalope* & pro *lusciosis* commendat *Reysius*. (g)

(f) Schrôd. l. a. pag. 269. (g) camp. elys. quæst. 7. pag. 99.

§. 11.

(11) in dolore, tinnitu & inflammatione aurium,

In dolore, tinnitu & inflammatione aurium.

Inter varia medicamenta ***auricularia*** prostat etiam ***urina asinæ.*** (h) Capuccinus plebejis dabat ***urinam asinæ primiparæ***, leporis masculi & lupi, vel, in defectu hujus, capræ omninò albæ. Hancin cochleari super prunis mixtam, additis guttulis aliquot olei destillati carvi, tepidam sensim instillabat tinnientibus auribus. Consilium haud adeò ineptum. (i) In magna *inflammatione* felicissimè nuper utebatur *lacte asinino Daniel Lücke*, rusticus è vicinia. Molitori cuidam in eodem affectu dederat alius

obſerv.

Succ. cyclamin. drachm. sex
stercor. caprin. drachm. un. cum dimid.
lact. asin. unc. duas

unam alteramve scilicet guttulam instillando, & tenuissimo linteo, lacte hujusmodi tepido madefacto, aurem obturando.

§. 12.

(12) in gravi auditu

In gravi auditu.

Fimus *asini* recens cum oleo rosaceo ad ***gravitatem auditûs*** tepidè instillatur, ùt ex Plinio tradit Fischerus. (k) *Zacharias* Herbstmann/ Pharmacopœus, mira mihi retulit de ***aqua è stercore asin.*** recent. Mense Martio collecto

obſerv.

(h) Macasf. l. c. p. 435. (i) vid. Lycograph. m. S. III. c. 1. §. 9. p. 141. (k) lib. cit. p. 315.

lecto destillata, crebriùs externè usurpata. *Stephanus* Rothhold/ etiam *lacte* usus est optato cum eventu, velut textor ille apud *Ebenum* (l) *lacte suillo*. alia

§. 13.

In hæmorrhagia narium.

(13) in hæmorrhagia narium

Succus *stercoris asinini* in aqua plantaginis expressus, & cum syrupo myrtino ebibitus, omnem sanguinis fluxum compescit, cujus in operando tam certa & probata est efficacia, scribente *Gainerio*, & omnibus ex *Scribonio* & *Galeno* attestantibus, ut, nisi ab ulcere dimanet, nunquam fallat. (m) *Stercus* ustum, vel emplastri instar impositum, naribusvè adhuc calidum admotum: *succus* ejus cum bolo armeno inditus, (n) ut rectè dixerit *Schonborn*: (o) *stercus asininum* omnem *hæmorrhagiam* sistit naribus admotum, præsertim si cum *succo urticæ* misceatur. *Vrticam* verò in hoc affectu mirè prædicat *Borell*. (p) Epithema *Purmannianum* hoc: (q)

℞. bol. armen. unc. duas.
lusi asinini unc. un.
pulv. lavendul. unc. dimid.
M. f. c. album. ovi & acet. epithema.

Solum *stercus* aridum naribus infrictum, vel

P 6 em-

(l) in cent. observ. num. 2. (m) C. à Reys camp. elys. jucund. quæst. 7. p. 99. seq. (n) Vid. Petrei diss. harmon. XII. p. 232. Sennert. L. I. Prax. P. III. S. IV. c. 8. p. 955. (o) manual. Med. pract. p. 219. (p) C. I. obs. 95. (q) P. I. Chirurgisch. Lorbeer-Krantz c. 31. p. 176.

emplastrum ex eo fronti impositum, voto etiam faciet satis. Idem præstant *pili* sub ventre evulsi & naribus intrusi: & *fumus* eorum. *VVolfius* (r) commendat *auriculam dextram.*

observ. Honesta virgo, à largo narium fluxu in summum animi deliquium lapsa, hoc unico remedio, *stercore* nimirum *asinino*, immixtis foliis recentibus plantaginis, ocius & ex voto restituta est.

alia Alius uxoris fronti sanguine ejus inscribebat C. S. M. T. E. admoto simul naribus *stercore*. Num interpretabimur per *Consummatum est*? Hoc enim experimentum probat *Mizaldus.* (s)

§. 14.

In dentium dolore & mobilitate eorum.

(14) in dentium dolore & mobilitate eorum

In utroque affectu *lac* commendant *Fischerus* (t) & *Schröderus.* (u) *Levin.* Dachsten in exquisita *odontalgia* ex foliis hyoscyami, floribus sambuci & *lacte asinino* faciebat sibi

observ. cataplasma, immixtis (ex stulta superstitione) pilis cati domestici ruffi, quod brevî omnes

alia questus & cruciatus pepulisse dicitur. Alius pro *stabiliendis dentibus* os *lacte* sœpius colluebat tepide. *Mirum,* ait *Schmidius* noster, (w) *quis plebeculam hujusmodi experimenta primùm docuerit. Quàm ridicula & inepta prorsus aliquando sunt, & tamen haud rarò faustum sortiuntur eventum. Opinio rectrix mundi.*

§. 15.

(r) de amuletis pag. 203. (s) C. VII. memorab. 693. (t) l. c. p. 346. (u) l. a. p. 269. (w) in obs. MS.

§. 15.

In terroribus infantum, gravedine & aphonia.

(15) in terroribus infantum: gravedine & aphonia

Pellis loco culcitræ imposita *infantum terrores* arcere dicitur. (x) *Gravedinem* capitis, ex quacunque causa ortam, quæ intempestivum concitet somnum, sine dolore discutit, qui *impetigines in asini cruribus* naturaliter datas detrahit, easque in scobem delimatas, immistô acetô, naribus indit. Pro magno secreto in *loquelæ defectu* habetur, si in decocto pisorum, vel, quod melius est, cicerum, tres seu quatuor *guttæ sanguinis*, ex *aure asini molaris* extracti, per aliquot dies vacuo assumantur stomacho, inquit ex fide *Nymanni Camerarius*. (y) Confer. D. *Georg. Hanai*, Amici optatissimi, disput. inauguralem *de aphonia*. (z)

CAPUT II.

DE USU ASINI IN AFFECTIBUS MEDIÆ CORPORIS REGIONIS.

§. 1.

In angina: empyemate & tussi.

(1) in angina, empyemate & tussi

QUidam *lotium asini* in *angina* calidum dant

(x) Schröd. l. d. p. 269. Plin. L. XXVIII. c. 19. Reines. Var. lect. L. III. c. 15. (y) Syllog. memorabil. med. cent. XVI. p. 338. (z) c. VI. p. 46.

dant pro potu. At hoc quis biberit? *Galenus* tamen eô os collui jubet. (a) *Cinis* verò *asini* cum oleo inunctus utilis ad *apostemata* discutienda. (b) In sputo sanguinis etiam conducit. Prodest *urina* cum melanthio contra omnes impetus & suppurationes, seu *apostemata*. *Lac* in *tussi* haud temnendum, ceteris tamen paribus, & prudenter notatis ac

observ. observatis. Præscripserat Medicus in potione pectorali etiam *ungulam asininam*. Pharmacopœus, ex arcadici pecoris grege, nesciens intelligi *tussilaginem*, subitò arripit *scobem ungul. asinin.* Uterque peccârat; Medicus debebat scapham vocâsse scapham, & Pharmacopœus in re dubia consulere ordinarium suum.

§. 2.

In Phtisi.

(a) in phtisi

Lactis asinini vires Cl. *Schröder* (c) synopticè explicans, *nutrit*, ait, *& abstergit fortiter. Hinc utile in* phtisi, *in morbis ventriculi, renum abscessu, vesicæ lithiasi, & arthriticis doloribus: laxat nimirum alvum, abstergit vias urinarias, ciet menses.* Datur ab unciis quatuor ad decem. Tabidis ita exhibetur, ut vel ipsimet sugant, vel expressum confestim ebibant, ne quid à nativò tepore remittat. Scio, nòn semel *asinas* ad ægrotantium cubicula deductas, & ante lectum expressum lac epotum cum fructu.

(a) L. VI. de comp. med. sec. loc. (b) Schröder. I. a. p. 269. (c) loco jam cit.

fructu. Galenus *melle* mixtum juveni cuidam, qui ferè contabuerat, à balneo statim exhibuit. (d) *Plinius* (e) in Arcadia *phtisicis* & cachecticis *bubulum* maximè profuisse scribit, cujus rei causam refert alibi (f) dicens: Arcades quidem non medicaminibus uti, sed *lacte circa ver*, quoniam tunc maximè *succis herbæ* turgent, medicanturque *ubera pascuis*; bibunt autem *vaccinum*, quia *boves omnivoræ* fere sunt *in herbis*. Sed fides sit penes Autorem. Medicorum filios longa experientia docuit, *asininum* palmam in illis affectibus obtinere. Vide tamen judicium *Danielis Ludovici*, Archiatri quondam Saxo-Gothani. (g) Femina apud *Valleriolam*(h) post febrem ardentẽ lentâ tabe consumta usu *lactis asinini* faustè restituta est. (i) Notabilis historia *Binningeri*,(k) quam transcribo. Uxor juvenis tussi purulenta, febre lentâ cum pulsu debili, labiis lividis, facie Hippocratica, in tantam atrophiam devenerat, ut vix cutis ossibus hæreret. Graviter objurgavit maritum parentesque medicus, quòd rem seriam semper distulissent in crastinum, & prognostico ægram reliquit. Jussit tamen in omnem eventum *capræ nigræ* propè lectum deductæ *calidum ex ubere lac* in gutturnium, aquæ calidæ impo-

obferv.

alia

(d) Schott. Phys. curios. p. m. 799. (e) L. XXVIII. c. 9. (f) L. XXV. c. 8. (g) dissert. 1. de pharmacia moderno seculo applicanda pag. 514. (h) L. IX. obs. 6. (i) Conf. Schenck. L. V. obs. 155. (k) C. III. obs. 86.

impositum linteo obductum, excipi, & bis quotidie gradatim pro viribus ab ægra bibi. Quamprimùm *lacte* uti cœpit, eo fere solo sensim intra paucas septimanas restituta est. Longè magis conducit in confirmata febri *lac muliebre*, quo ex binarum nutricum uberibus sucto militem quendam Generosissimi Domini Comitis *de la Suze* officialem (cujus cutis ossibus adhærere præ incredibili marcore videbatur,) & alium sibi redditum vidit feliciter. (l) E tripode autem Excell. D. *Gockelius*, Amicus honorandus: (m) *caveant sibi, qui diu admodum, & quidem copiosè, hauriunt* lác asinæ, *ne mores induant patientissimi animalis, uti accidit illi, qui* lacte caprino *nutritus, cùm adolevisset, semper saltabat, plantasque ab rasit petulantius.* Pro vero mihi narratum est, nobilem puerum, lepidi aliàs & vividi ingenii, phtisi correptum ex consilio medici ultra annum ferè *lacte asinino* nutritum convaluisse quidem, sed adeò stupidum factum, pigrum, somnolentum, adque omnia negotia ineptum, ut omninò mores & *indolem asininam* induisse stupuerint universi. Tandem supervenientibus *variolis* extinctus est. Idem accidisse nobilissimæ juvenculæ xiv. annorum, fidem mihi fecit alius in Holsatia Amicus, addens:

cautio

observ.

(l) Conf. Plater. T. III. Prax. med. p. 499. Grandesium in obs. Riverio communicat. p. m. 327. Zod. Med. Gallic. ann. III. obs. 3. pag. 111. D. Meibom. disp. de phtisis curatione per lac §. 30. (m) consil. med, XIX. p. 217.

addens: aliquando eam pulcherrimè vestitam in luto & pulvere, *more* prorsus *asinino*, sese volutasse. Næ, quid valeat lac in formatione morum, historiæ docent valde memorabiles apud *Justinum*, (n) & *Casp. à Reys*, aliosque. (o) An verò *lactis asinini* cura etiam hyeme commodè institui queat, ventilat *D. Bernhard, Verzascha*, (p) qui non prorsus rejiciendum ratus est, scribens: lac salubrius esse, quod suppeditant vaccæ *fœno & avenâ*, quam *herbis recentibus*, pastæ. Nam subinde *succus* herbarum *crudior* lacti admixtus ventriculum gravat. Cl. *Helmontius* de *lacte asinino* sic: (q) *hoc lac plus reficit & recreat, imò & hactenus nutrit, non quantum serosius est*; *Id enim est cortice tenus judicasse de viribus nuclei nunquam antea visi*. *Ast* asina, *quatenus* longæva, *lac ceteris quadrupedibus præstantius habet. Necesse est enim, quòd & lac ejus Archéum*, longævâ vitâ dotatum, *habeat. Et ob hoc scilicet, non nisi longè post, suum separat colostrum, quia tardiùs corruptioni auscultat. Sequestratio enim ista ad dualitatem & destructionem tendit. Hinc patet, quòd cum in pueritia alimentum convertatur in ipsa nostri constitutiva*, asininum lac *pueris vitam longævam atque saniorem præ* *cibis*

quæstio

præstantia lact. asin. unde?

Q

(n) L. XLIV. c. 4. (o) camp. elys. quæst. 47. §. 32. seqq. Weinrich. de monstris c. 15. Visselbecc. in chron. Hûxar. ad ann. 1120. Lagograph. m. S. III. c. 17. (p) in epistola ad D. Wepfer. vide centur. obs. ejus p. m. 278. (q) in sextuplici digest. aliment. human. p. m. 179. B.

cibis ceteris conferat. *Quapropter etiam* lac muliebre, *quanquam nobis sit simillimum, proximum, mumiale, & nutritium, attamen cedit* asinino, *ob* longævitatem. Ceterùm *carnem* commendat Plinius (r) ex jure sumtam. Certè *Bathylis*, narrante *Æliano*, esu hujus carnis restitutus est non quidem à *phtisi*, ùt non nemo autumat, sed à *rabie*. Phtisicis tamen etiam dari posset. Vide plura hanc in rem apud *Bruyerin.*, (s) *Nonium*, (t) *P. Castellan.* (u) *Thom. Reinesium*, (w) *Aldrovandum* (x) & alios.

§. 3.

In Pleuritide.

(3) in pleuritide observ. *Andreas* Glaßberger/ *pleuritidem* hoc pulvere, à venatore sibi dato, faustè pepulit.

℞. *rasur. dent. asin.* drachm. dimid.
corn. cerv. crud. raspat. scrup. unum.
tal. lepor. scrup. sem. F. pulv.

Sumebat in aqua papav. errat. chamomill. & fl. sambuc., subsequente sudore. (y) Novi

alia quendam, qui è *succo fimi asinini* aquam destillat antipleuriticam. Ita in Hildesiensi officina alia servatur composita *è fimo equino.*

alia (z) Venator sibi ipsi propinarat in aqua flor. sambuci *rasur. ungula asinina* & fuligin. splendent. camini, remittentibus subitò cunctis dolo-

(r) L. XVIII. c. 17 (s) L. XIII. de re cibar. cap. 20. (t) L. II de re cibar. c. 10. (u) L. III. de esu carn. c. 9. (w) L. II. V. L. c. 18. (x) L. I. de quadrupedib. c. 2. p. 163. (y) Israel Schmied. in obs. MS. (z) Decur. II. Ephem. curios. ann. I. p. 192.

doloribus. De *fuligine* vide sis elegantem observationem *Riverianam*. (a)

§. 4.

In lactis defectu, mammarumque fissuris.

(4) in lactis defectu, mammarumque fissuris.

Vngula asinina priores crematæ, inque subtilissimum pulverem redactæ, & cum aqua fœniculi datæ, *lac* nutricibus augere dicuntur. (b) De *vaccarum* ungulis idem habet *Mizaldus*. (c) In *fissuris mammillarum Vrsula Kammin sordes aurium asin.* adhibuerat. *Humanarum aurium sordibus Galenus* curat (d) scissuras fissurasque *manuum*. observ.

CAPVT. III.

DE USU ASINI IN AFFECTIBUS INFIMÆ CORPORIS REGIONIS.

§. 1.

In bulimo, singultu & vermibus.

(1) in bulimo, singultu & vermibus

Lac per se potum reficit stomachum exulceratum, & novi plebejos, qui in *bulimo* usurparint: cumque mordacitatem humorum valdè infringat, dari potest in *singultu*. Dixit mihi molitoris Mihlani uxor, se *verminantibus* puerulis multoties dedisse pulverem cretæ in *lacte asinino* optatissimo cum successu.

Q 2

(a) C.II. num. 79. (b) ex manuali antiquo. (c) C. II. memorab. 159. (d) Galen. XI. simpl. fac.

obſerv. ceſſu. *Conradus Stopper*, variis ſymptomatibus diu excruciatus, tandem, conſilio ſutoris, *in lacte aſinino* ſumit *flores hyperici*, fumumque *corii* ex detritis *calceis* per infundibulum ore excipit, monſtroſis expulſis *vermibus*. Sanè *flores hyperici* eximii ſunt; *fumus* verò *vetuſti corii* quid efficiat, vide apud *Mizaldum*. (e) Fruſtrà adhibita fuerant alicui innumera remedia, qui cùm per infundibulum *fumum* nidoremque *veteramentorum* ore excepiſſet, grandis *vipera* per anum egreſſa eſt. Ita puer iſte Melitenſis, toto corpore *cruſtis fœdis* obſitus, adſperſo *cinere combuſti corii calceorum* cum oleo roſaceo perfectè convaluit. (f) *Leonell. Faventin.* (g) clyſterem parat ex *lactis aſinini* unciis decem, addito ſaccharo.

§. 2.

In colica & adſtrictione alvi.

(2) in colica & adſtrictione alvi obſerv. alia

Stercus aſini pulli, primùm à partu rejecti, in ſapa decoctum *colicis* datur. Non ſemel vidi in monte Martis, infantes adſtrictioris alvi, ſumtô *lacte aſinino*, bene fuiſſe purgatos. Idem notavi ad Hercyniam de *lacte ſuillo*. *VVarburgi* ad Dimolam puella unius anni febricitans *alvum* ſubinde habebat *pigriorem*. Infundit ei mater largâ manû *lac aſininum* ſuillumque alternatim, ſed infauſtâ horâ. Mox enim ſequitur *diarrhœa*, hanc *reſpiratio difficilior*, *caducus*, denique *mors*, ultima linea rerum. Utinam

(e) C. IV. memorab. 395. (f) Bartholin. C. VI. hiſt. 72. (g) Medicin. pract. c. 61. p. 493.

Utinam saperent, & novissima meditarentur mulierculæ, quinti præcepti studiosiùs memores.

§. 3.

In dysenteria.

(3) in dysenteria

Stercus asini, (h) cunprimis *pulli asinini*, quod primùm rejicit à partu, & *cinis* ejusdem *fimi*, in vino datus à quibusdam volentibus exhibetur. In nupera *dysenteria*, patriam populante nostram, nobilis quidam è *stercore asin.* & porcino, immistis telis aranearum, cum urina pueri faciebat cataplasma calidè applicandum ventri, præmissis tamen præmittendis, multorum cum levamine. Imò alius *internè* usurpasse dicitur. Sic *stercus equinum*, vel *suillum* recens, adjecto pulvere nuc. moschat. & cum rob. de berber. datum, pro experto habet *Leonell. Faventinus*. (i) Lac in stomacho non concrescit, & dysentericis prodest. Idem præstat limatura *ossium asin.*, experientia *Stephani Klöseri*, Practici veterani, non secus ac ossa humana, de quibus *Ledelius* noster. (k)

observ.

alia

§. 4.

In fluxu hæmorrhoidum.

(4) in fluxu hæmorrhoidū

Pulverem *stercoris asinini*, & syrupum de eodem sistit D. D. *Dolæus*, (l) cum Cl. *Macasio.*

(h) Petræus Tom. II. diss. harmon. XXVIII. p. 105. (i) de medendis morbis c. 56 p. m. 445. (k) Decur. II. Eph. curios. ann. II. obs. 38. (l) Encyclop. med. L. III. c. 10. p. 598.

obferv. *casio.* (m) *Christianus* Schonewald / fæpiùs infeipfo expertus hoc:

℞. *ftercor. afin.*
pulv. ranar. combuft. ana part. æqu.
admifc. tel. aranear. & f. cum fanguine recente pullor. columbin. cataplafma.

Alius prædicabat fuccum plantaginis, cum *fucco è ftercore afinino* expreffo miftum & applicatum.

§. 5.

(5) in abfceffu epatis

In hepatis abfceffu.

Jecur afini aridum tritum cum duabus partibus petrofelini, & tribus nucibus juglandibus purgatis, ac melle illitis, in cibo datum, hepatico jejuno faluberrimum pronunciavit *Plinius*.

obferv. Adolefcens in *abfceffu hepatis* varia inter præfidia etiam *lacte afini*, tuffilagine & card. Mariæ diligenter pafti, crebriùs fumto aliquandiu vitam protraxerat, tandem ἄνω καὶ κάτω purulentam materiam copiofius rejecit, & placidè obdormivit, cunctis viribus exhauftus. Videatur etiam *Tulpius* de pure jecoris *per os alvumque* excreto, (n) & de *abfceffu hepatico* per urinam alvumque foluto *Salmuth.* (o)

§. 6.

(6) in Ictero

In Ictero.

A *ftercore pulli equini* primùm à partu rejecti

(m) l. c. pag. 794. (n) L. II. obf. 27. (o) C. I. obf. 28.

jecti si in vino detur ad magnitudinem fabæ, intra triduum pelli hunc morbum asserunt. *Sanguinem pulli asinini* commendat *Macasius* (p) ex vino sumtum. *Georgius* Helbard/ tres pediculos *asininos* vorabat malo successu, (q) *Martha* Winterbirn / filiolæ suæ propinabat in decocto chelidon. agrimon. & centaur. min. *sanguinem* feliciter. *Lucas* Dreusing/ *stercore* utebatur summo cum levamine, ut maritò id *efficacissimum* prædicet *Athanasius Kircherus*. (r) *Tobias* Dunstock/ *stercus* pueri sui cum *urina asin.* mixt. linteolo exceptum, vesicæque suillæ inditum in camino suspendebat, & ad exsiccationem urinæ *icterus* sensim evanuit. Fumum verò parabat ex solo ligno *sambucino*. De ipsius ægroti urina vide *Beckherum*. (s) Alius cum *urina* patientis manè super *sterc. asin.* aut equin. emiss. beneque mixt. ac linteo inditum suspendit in fumo, exsiccat. postea combussit, & feliciter curatus est.

obserν. alia; alia alia alia

§. 7.

In obstructione lienis, tenesmo & rhagadibus ani.

(7) in obstructione lienis, tenesmo & rhagadibus ani.

Splen asini ad vitia ***lienis*** curanda tam dicitur efficax, ut intra triduum utilitas sentiatur, *Schotto* teste, (t) cui adstipulatur *Macasius*. Si

Q 4

(p) l. c. p. 807. (q) Petr. Visselbecc. chron. Hüxar. ad ann. 1284. (r) L. III. de magnet. Part. 7. c. 6. p. m. 720. (s) L. I. Med. microcosm. c. 9. p. 36. (t) Phys. curios. L. VIII. cap. 7. Add. Macas. l. c. pag. 495.

Si *fimus asini* obstructiones *hepatis* tollit, (u) quidnî etiam *lienis*? Præparari verò debet prius splen daturq; ad drachmam unam. (w) Syri *fimum pulli asinini*, primùm à partu rejectum, (poleam vocant) in aceto aut mulso dant, docente *Plinio*. De usu *stercoris* in *tenesmo*, vide *Macas.* (x) Paupercula nuper
observ. sacculum *furfuribus triticeis* repletum, adjecto *stercore asinino*, ventri suo imposuerat, exiguo tamen cum levamine. Ad *rhagades ani* hoc præscribit *Leonellus Faventinus*. (y)

℞. *flor. lactis asin.* seu caprin. unc. tres bulliant cum succo plantag. ad debit. usque spissitudin.

Quô liniatur locus, factâ prius vaporatione herbarum positarum in fomentatione.

§. 8.

(8) in morbis renum & lithiasi

In morbis renum & lithiasi.

Vrina specialiter medetur *morbis renum*. Renes triti inque vino dati vesicæ medentur, & urinæ incontinentiam prohibent. Cl. *Nonius*, (z) *usus*, ait, *lactis cùm melle dati ad omnia intus exulcerata, maximè verò renes, vesicam, fauces & pulmones convenit, quibus tamen vitiis* asininum *ceteris præfertur, propter tenuitatem*
observ. *partium*. Vir quidam *abscessû renum* gravissimè vexatus, omnia salutifera medicamina per-

(u) Fischer. l. a. pag. 536. (w) Schonborn. manual. Med. pract. pag. 164. (x) l. d. p. 791. (y) Med. Pract. cap. 64. p. 517. (z) L. II. de re cibar, cap. 15. pag. 209.

pertinaciter sprevit, tandem suasû Medici cujusdam uncias quatuor *lactis asinini* per duas septimanas quotidie hausit. Inde, copiosâ materiâ purulentâ per vias urinarias evacuatâ, ipse in integrum restitutus est, referente *Sültznero*, Med. ord. Lauterbach. in Hassia, Amico dilecto. *Lactis asinini* vires in lithiasi, ob tenuissimam, quâ pollet, substantiam & facultatem facilimè dissolventem, magni facit *Macasius* (a) & *Petraeus*. (b) Novi, qui *sanguine pulli asinini* usus sit, quem *ictericis* offerunt alii. (c)

§. 9. (9) in Ischuria & stranguria

In ischuria & stranguria.

Lac & *renes* triti & cum vino dati. D. *Johannes Francus*, Medicus Ulmensis, Amicus noster, opifici nuper in pago Beuren, *stranguriâ* laboranti, suasit, ut biberet haustum *urinae asininae*. Obtemperans ille ter repetiit, & sine ulla aliorum medicamentorum applicatione pristinae restitutus est sanitati. At novi ego monachum è familia *Benedictina*, qui, quoties *mingentem* videt *asinum*, eôpse momentô corripitur *stranguriâ*, quam verò, devoratis *granis* aliquot *juniperinis*, facilè profligat. observ. alia

Q 5 §. 10.

(a) l. a. pag. 507. (b) dissert. harmon. 40. pag. 326. (c) Schröder. l. c. pag. 269. Fischer. lib. dict. pag. 536.

§. 10.

(10) in sterilitate utriusque sexûs

In sterilitate utriusque sexûs.

Præsidium spondent *testiculi*,(d) aut *dexter* saltem in vino datus, seu brachio alligatus: nec non *spuma asini* à coitu, roseo panno collecta & argento inclusa. D. *Arnold.* Weickard/(e) sequentem propinat julebum:

Jm Martio laß einem Esel/ der zuvor müde getrieben worden ist / die Ader am Halß durch einen Schmied schlagen/ und fasse das Blut in einen neuen Hafen oder Becken / leg darein ein ziemlich Stück neugebleicht Tuch / daß etwas gröblicht / laß so lang stehen/ biß sich das Blut darein gezogen / alsdenn nimm gemeldtes leinen Tuch wieder heraus/ und truckne es an einem schattichten Ort/ daß kein Staub darauf fällt. Wenn sich nun einer schwach und gebunden befindet/ so schneide von dem blutigen Tuch drey Stücklein / jedes drey zwerch Finger breit und lang ; gieß darauff blau Hünerdarm-Wasser / Eisenkraut-Wasser / jedes ein halb Echtmaas/ und wenns drey Stund infundirt gewesen/ so zwing die Tüchlein fein fleissig aus/ damit das Wasser davon gantz röthlicht werde/ mach daraus drey Theile / und gieß zu jedem ein paar Löffelvoll Tauben-kropff-Syrup / und gibs dem Patienten auf drey

(d) Macas. l. c. pag. 305. Fischer l. a. pag. 619. (e) in Pharmacopœa domest. S. III, §. 20. pag. 94. seq.

drey Morgen nacheinander warm zu trincken / und lasse ihn allwege / wo möglich / schwitzen.

Medicina Indica ad gignendos *gemellos* hæc est: (f) medicina Indorum ad gemellos.

℞. *lact.* femin. *asin.*
camelæ an. p. æqu.
zingib. trit. & cribellati parùm.

Hoc ponatur super lacte per diem & noctem; postea agitetur, quod supernatat, accipe, ut de eo mulier intus & extra vulvam fortiter inungat. In diebus menstruosis & in horis coitus, & gemellos concipiet. At *mula* sterilis cùm sit, si ejus *auricula* à mulieribus ferantur, seu super iis bibatur, non concipient. *Ronseus ita*: (g)

Auriculas *etiam* mulæ *deferre nocivum est*;
ossiculum in medio vulvæ *reperitur* asellæ,
quod steriles coitus faciet, si quando feratur:
suspecta & matrix, quæ nondum fœta capella est, illam mulier si portet corpore nudo.
Cor *quoque* semiasini *fertur non absque periclo.*

Testiculi leporis feminæ & mustelæ masculi, in *pelle asinina* involuti, gestentur, si ab incantatione fiat sterilitas. (h) Seta ex *mula cauda* in coitu ipsi extracta, & circa corpus mulieris graviditatem cupientis ligata. (i)

Q 6 *Ungula*

(f) Müller. in mirac. & myster. Medico-chym. p. 90. B. (g) Vid. Ronsei epist. XXII. p. 66. & in venat. med. p. 82. (h) Macas. l. c. p. 839. (i) Plin. L. III. c. 15. Ronf. in venat. med. p. 81.

Ungula mulæ, cerumen auris, in pelle ejusdem animalis ligatum & collo suspensum : (k) grana pœoniæ cum *pilis auris mulæ* à muliere in corpore nudo gestata; (l) nec non *matrix mulæ* secum portata sterilitatem procurant. (m) Verùm *Primerosius* (n) omnia ista occultavi agentia, pro meris mendaciis habet, nec fas erit Medico *sterilitatem* inducere. (o)

§. 11.

(11) in suffocatione & procidentia uteri

In suffocatione & procidentia uteri.

In *illa* valet *cinis* (p) & *ungula asini*. (q) Ipsemet vidi *stercus*, cunprimis recens, *asinin.* naribus admotum, malum hoc abegisse. Sic *Strabo* narrat, (r) apud Sabæos abs odoribus stupefactos, bituminis suffitû, *hircique incensâ barbâ* recreari. Rusticus Antverpiæ cùm in myropolion seu officinam aromaticam divertisset, deliquio animi periclitari cœpit, confestim illi proximus, admoto naribus *fimo equino* adhuc tepente & fumido, (nam illi assuetus erat) animam revocavit. (s) Plura hujus rei exempla dedimus alibi. (t) Faber ferrarius *Lauterbachi* in Hassia *stercore asinino* exsiccato, prunis crebrius injecto, in

observ.

(k) Kiran. in Kiranid, p. 79. (l) Otto Brunsfels. Iatr. lib. 4. (m) Ronseus l. c. (n) L. IV. de error. vulg. c. 7. p. 548. (o) Steph. Roderic. à Castro quæ ex quib. L. IV. cap. 4. (p) Schrôd. l. c. p. 269. (q) Macas. l. a. pag. 849. (r) L. XVI. (s) Lemn. L. II. de O. N. M. c. 9. pag. 146. (t) Zeitkürtzende erbauliche Lust P. I. them. 204.

in procidentia uteri conjugis suæ cum optato juvamine nuper utebatur.

§. 12.

In exulceratione & pruritu vulvæ.

(12) in exulceratione & pruritu vulvæ

Vetus *asini pinguedo vulvæ exulcerationem* sanat, & in vellere imposita *duritiem* ejus emollit. De *lactis usu* in *pruritu vulvæ* D. *Eusebius Hieronymus Fellmann*, Amicus integerrimus, lepidam recitabit historiam. Vidit ille puellam XVI. annorum, eximiæ formæ, cui, ob genitalia à natura clausa, menses & urina ordinariè modò solitariè, modò cum ceteris fecibus, per alvum sine molestia fluebant. Cumque ad matrimonium inepta videretur, in cœnobium deducere volebant Parentes, quam eremum tamen ipsa declinavit. Interim nescio à quo Jurium perito amata & vitiata sit, semine virili tantùm extra pudendum virgineum adsperso, & aurâ spirituosiori attractâ. Gratæ hæ titillationes crebriorem fecêre admissionem. Tandem bonæ puellæ venter intumuit, ipsaque ab omnibus renunciatur prægnans. Rogata rigorosius, acta & facta parenti recensuit, qui verò hoc modo puellam impraegnasse pro impossibili habuit. Interea ob calorem inordinatum, *pruritumque* periodicum, quem *circa vulvam* ipsa senserat, *lacte asinino* claustrum suum frequentius lavit fovitque. Quod laxatum spontè tandem noctu in somno

hist. memorabilis

mno

mno disruptum hiatum fecit sat amplum, & exodum tandem suo tempore præbuit infanti. (u)

§. 13.

(13) in eductione fœtûs mortui & δυςοκίας, observ.

In eductione fœtûs mortui & δυςοκίᾳ.

Ad *fœtum mortuum* eliminandum conducit *cinis* in suffitu: (w) in δυςοκίᾳ ungula & lapis asinius. (x) *Vitus Meyer*, Veteranus & peritus in Westfalia chirurgus, aliquoties in difficiliori partu suæ aliorumque uxoribus dedit in aqua meliss. & menth. crisp. sequentem pulverem bono cum eventû.

℞. Flor. cheyri
cor. gallin. nigr.
ocul. lepor. mascul. circa plenilunium Mens. Mart. capt.
testicul. asinin. ana drachm. dimid.
fol. sabin.
myrrh.
sal. volat. succin. ana scrup. dimid.
ol. stillat. menth. seu cinamom. gutt. tres. M. F. P.
Divid. in tres part. æqual.

De *corde gallinæ nigræ* exemto, sericoque filo transfixo, & sinistræ coxæ alligato adhuc palpitante, memorabilem historiam recenset *Goclenius* (y) & *Camerarius*. (z) Illustris enim

(u) Vid. Dec. II. Ephem. cur. ann. VII. in append. p. 161. (w) Schröd. l. c. p. 269. (x) Macas. l. c. p. 874. (y) in synarth. magnet. p. 111. (z) hist. memorab. P. I. cent. 4. p. 226.

enim femina, omnibus ad partum facilitandum frustrà adhibitis, ab hujusmodi corde præsentaneum sensit auxilium. De *oculo leporin.* vertici saltem imposito vide D. *Major.* & nos alibi. (a) Num pro *testiculis equinis* scripserit *asinin.*, seu an hos substituerit, dubium est. Certè illos summopere dilaudat *Rodericus à Fonseca*, (b) *Horat. Augenius*, (c) *Henric. ab Heer*, (d) &c. Interim virtutem hancce non derogavero *testiculis asininis*. De *auditu* vide suprà.

§. 14.

In mensibus superfluis & suppressis.

(14) in mensibus superfluis & suppressis. observ.

Stercus asininum vulvæ impositum fluxum cohibet. *Abrahami* Weißdorns / conjux usurparat sequens suffumigium in sella perforata exceptum,

℞. Thur.
 mastich. ana drachm. duas
 pell. anguill. exsiccat.
 ungul. asin. ana unc. dimid. M.

Alia è solo *stercore asin.* suffitum sibi fecerat, interne verò hausit cum aqua plantagin. pulverem hunc: alia

℞. turtur. in olla combust.
 ranar. in sole tostar. ana drachm. un.
 sem. hyoscyam alb. scrup. un.
 sal. prunell. scrup. sem. M. pro duab. dosib.

De

(a) in trib. invent. medic. invent. 3. lagograph. m. S. III. c. 3. §. 1. (b) T. II. consil. 81. (c) L. VII. consult. (d) L. I. obs. 14.

alia De turture videatur *Forestus*, (e) de ranis P. *Poterius*. (f)

alia Alia ex *stercore asin.* nitro & sacch. parârat pulv., eumque devoravit ad drachm. unam.

Alia sumsit hunc:

℞. *sanguin. asin. siccat.*
corall. rub. ppt.
bol. armen. an. scrup. un. M. pro 2. dos.

℞. Aqu. fol. querc.
urtic.
plantagin. ana unc. duas
syr. cinamom. unc. dimid. M. pro vehiculo.

In suppressione mensium *ungulas asininas* præscribit *Macasius*. (g)

§. 15.

(15) in arthritide *In arthritide.*

Lac cum *stercore* cataplasmatis formâ impositum compescit *dolores arthriticos*. (h) Sunt inter exempla, qui *lac asin.* bibendo podagrâ chiragrâve liberati sunt, ait ex Plinio *Schottus*. (i) Confirmat hoc *Celsus*: (k) quidam etiam, cùm *asinino lacte* (non lotio) epoto se eluissent, in perpetuum hoc malum evaserunt. Rectiùs legendum erit *aluissent*. *Amatus Lusitanus* ceu singulare probat, scribente *Solenandro*, (l) quod Turtis Magnatibus familiare, scilicet introductam in cubiculum

(e) L. XXVIII. obs. 10. (f) L. II. Pharmacop. spag. (g) l. c. p. 314. (h) Schröder. l. c. p. 269. (i) Phys. cur. lib. & cap. cit. p. 799. (k) L. IV. c. 24. (l) Sect. V. consil. med. 4.

culum *capram* emulgere in locum dolentem. Improbat hoc *Daniel Beckher*, (m) substituitque lac femineum ex mammis emulgendum. Vir quidam primarius Turcas imitaturus *asinam* in loca dolentia non semel emulsit, cum exiguo tamen levamine. Rusticus nuper in Hassia ex *stercore asinin.* cum aceto mixto, adjectis floribus chamomillæ & hyoscyami, & calidè applicato, gratissimũ sensit levamen. Repete *unguentum asininum* suprà (n) ex *Schrödero* datum, & vide sis exercit. medic. de *cura lactis*, *podagricorum solatio & certo podagræ* remedio, D. *VValdschmidii*, Amici & Collegæ, dum viveret, honoratissimi. (o) Alii malunt *serum asininum*. Alius ex bono Henrico, caseo vetusto & mordicante ac *lacte asinino* sibi fecit cataplasma non sine levamine. *Bonum Henricum* summopere commendat D. *Simon Paulli*, (p) *caseum veterem*, at in jure, in quo petaso seu caro suilla fuit elixata, laudat Celeberrimus *Rolfinc.* (q) Recordor hîc curationem *arthritidis* per terrorem apud *Salmut.* (r) Ob volvuntur cuidam manus pedesque cataplasmate ex *rapis, simila & lacte* parato. Reponitur in sella in conclavi suo inferiori, abeunt domestici in hortum ædibus contigu-

observ.

alius

hist. ridicula

R um,

(m) L. I. Med. microcosm. c. 6. p. 20. (n) cap. 1. hujus section. §. 6. (o) habit. Marburgi 1675. (p) Botan. quadrip. Cl. 2. p. 226. (q) L. IV. de affect. corp. particul. cap. 1. pag. 379. (r) C. I. obs. 48.

um, ſus autem foribus non clauſis ædes ingreditur hinc hypocauſtum & olfaciens pultem illam, ægrum aggreditur voratura pultem, ſicque eum proſternit cum ſella in pavimentum. Hic dum ſe à ſue defendere nequit, diu multumque domeſticos inclamat, qui & tandem accurrunt, & ſuem abigunt, ipſi verò dolores ſimul profligati ſunt. Adde *podagram à formicis ex terrore* curatam. (s)

§. 16.

(14) in lepra obſerv.

In lepra.

Neapoli cùm ſubſiſterem, narravit mihi *Marius Schipanus*, ſummus ibi Medicorum, ſenio & eruditione venerandus, Principem Neapolitanum *Caraffam* pro curanda *lepra* veſci ſolitum *carne aſini pulli.* (t) Num tenaci alimento malam labem contractam emendet, ſeu quod citiùs per alvum ſecedat? tute, qui potes, cenſebis. *Gregorius VVittehenne*

alia

(u) ita: *Petrus Leimer*, ruſticus Böxenſis, *fœda ſcabie* afflictus, ut cutis ejus inſtar *corticis betulini* per totum corpus videretur, ſuaſu parochi cujusdam, *aſini carne* quotidie veſcebatur, *modò aſſâ, modò coctâ*, purgatô ſubinde corpore, & *perfectè* ſanabatur.

(s) Breviar. Iſibord. num. 40. (t) Bartholin. C. VI. hiſt. 33. (u) in continuatione chron. Hûxar. P. Viſſelbecc. ad ann. 1443.

CA-

CAPUT IV.

DE USU ASINI IN FEBRIBUS.

§. 1.

In quotidiana & tertiana.

SUnt, qui *sanguin. asin.* ex *auribus* emissum ad *febrim quotidianam* exhibent. (w) An verò *tres guttæ* in duabus heminis aquæ suffi- ciant, nescio. (x) *Laurentius Disteler*, sumtô bonô haastû vini adusti, in quo per noctem macerarat *stercus siccum asininum*, duabus horis ante paroxysmum in *tertiana*, ex voto eam profligabat. De *suilli* stercoris vi anti-febrili vide D. *Cummen.* (y) de *anserini* virtutibus in *quartana* contumaci alium. (z) Nonnemo paroxysmum valde imminuebat sequente epithemate:

(1) in quotidiana & tertiana

observ.

alia

℞. pulv. combust. ranar. virid.
pil. è cauda asini evuls. & ust.
tel, aranear. mund. q.v. M, c. succ. cent. min. & impone puls.

Puero XI. annorum largam hæmorrhagiam frigidâ cervici affusa mater suppresserat. Alterô autem die lapsus in febrem *tertianam*, in qua per totum ferè corpus pustulæ pellucida lympha plenæ proruperunt. Geni-

alia

R 2 trix,

(w) Schrôd. l. c. p. 269. (x) Vid. Plin. L. XXVIII. c. 16. (y) Decur. I. Eph. Curios. ann. 3. obs. 126. (z) ead. Dec. an. VI, obs. 40.

trix, præmisso purgante ex fol. sen., à quo tamen magna ventris inflatio cum exquisito cruciatu, dedit tandem, parochi pagani suasû, ante paroxysmum in pulmento, cum *lacte asinino* præparato, de *sale juniperino* drachm. dimidiam, de collo autem suspendit lapidem araneæ serico inclusum. Sudavit ille optato cum levamine, febri post ultrò cessante. Ita *Salmut* (a) de morbillis, hæmorrhagiam frigida aqua suppressam, insequentibus exemplum dabit. Suspectam mihi semper fecit frigidam istam alterationis gratia perfusionem frigidum inter calidumque ἀντιπερίστασις, qua de legi merentur Doctoris mei *Joh. Christian. Frommanni* duæ exercitationes. (b) Scribit *Highmorus*, (c) puero febre peracuta laboranti tandem in volis manuum plantisque pedum & apicibus digitorum pustulas magnas & altas excitatas fuisse humore rubro, paulò nigricante, ichoroso plenæ: apertô cadavere totum abdominis spatium intestina inter eôpse humore repletum & distentum inveniebatur, liene versùs partem ejus inferiorem, qua ventriculum spectat, perforato. Et hinc istæ lachrymæ. *Borellus* etiam (d) de fungis per totum corpus, post curam morbillorum, erumpentibus notabilem

alia

(a) C. III. obs. 31. (b) habit. Coburg. 1663. (c) L. I. disquisit. anat. P. III. cap. 3. pag. 73. (d) C. I. obs. 34.

lem habet historiam. Quod verò *ventris inflatio* & *tormina* à foliis senæ excitata fuerint, non miror. Si *alexandrina* & genuina fuisset sena, nihil inde periculi. Rectissimè enim D. *Paulli* : (e) *Mirari ergo desinamus, quòd sæpe perfacilè* à senæ *usu* ventris inflationibus *torqueamur, si vera alexandrina aliis in regionibus nata surrogetur, cujusmodi incommoditatem haud timere debemus* in alexandrina. Quod concernit ipsam curationem, prolectus utique fuit sudor à *sale juniperino*. Pastor multos rusticos à febribus *tertianis*, aliisque erraticis, solo *oleo juniperi*, ingruente paroxysmo, spinali medulla probe inunctâ, in hypocausto calido, vel propè ignem sudantes feliciter liberavit, sine ullo recidivæ metu. Appensio *lapidis araneæ* superstitionem & nugas spirat. Dubium enim, an verè dentur ejusmodi lapides. (f) curà senæ tormina

§. 2.

In Quartana. (2) in quartana

Simplicissimus rusticus *quartanâ* totus consumtus, omnibus frustrà tentatis, tandem à sculteto loci, homine nequam, jubetur *barbam* suam abscindere, eamque cum *rob sambuci* edere, postea haustulum *lactis asinini*, seu vaccini, desuper bibere, & sudare. Fecit ille, & eapse hora decantatissimum istud Medicorum scandalum omninò felici-

(e) Botan. class. 4. p. 557. (f) Idem l. c. p. 161.

ter profligabatur. Quid fortiùs regit multitudinem, quàm superstitio? Aliam, ridiculam prorsus, at illicitam, curam *quartanæ* per *barbam* abrasam, eamque cum quatuor versiculis scriptis affixam, vide apud *Camerar.* (g) Juvat attexere relationem *Joh. Freitagii* (h) de *Henrico IV.* Galliarum Rege.

hist. ridicula

Huic à Duce quodam suæ gentis bellum præter expectationem, nec ante denunciatum, inferebatur, cui ipse Rex subitò collectis copiis occurrens, castris hostilibus tale nihil suspicantibus pugnaturus imminet, ea fortè hora, qua rerum securus Dux adversæ partis in suo diversorio pagano *barbam* præcidi curabat. Improviso Regis adventu territus, *barbâq;* vix media resecta humique fluente, in fugam cum universo exercitu, adversarii fortunam & robur extimescens, se conjicit, & *febri quartanâ* laborantem, & cum paroxysmo confligantem in diversorio relinquit Mareschallum. Paulò post superveniens Rex cum toto agmine militari, percunctatur, quô locô diversatus fuerit belli Dux, & rectà petit diversorium, ubi *barba* pilos nigerrimos humi fluentes reperit, &, cujus sint, quærit: edocetur ab hospite loci. Relictus autem Mareschallus *quartanâ* laborans vitæ præsidium supplicibus votis orat; Cui Rex humaniter subjicit: *meam ut experiaris clementiam*

(g) Syllog. memorab. Cent. VII. part. 6. (h) noct. medic. c. 39. p. 194. seq.

tiam, non tantùm vitæ usuram, quam tibi, ut malorum consiliorum Architecto & adversario, adimere jure possem, elargiar, sed remedium ad quartanam, quâ pessimè affligeris, suppeditabo. Et continuò dono dat *amuletum* à collo suspendendum, cui sequentia inscripta erant: *adjuro te febrem quartanam per pilos semiresectæ barbæ Ducis profugi* N. N. *ut deseras hunc ejus Mareschallum, quemadmodum ipse Dux & Dominus stationem & castra cum universo suo exercitu mulierosè deseruit, imminente, cui bellum moverat, Rege.* Accepto hoc amuleto mirô perfunditur gaudiô Mareschallus, cujus usu à febre inposterum immunis prorsus convaluit. Domum reversus rem gestam suo Principi narrat, & Regis miram clementiam commendat: uxor verò Principis rei novitate capta cupit amuletum videre; quô visô & reseratô invenit mariti *dimidiam barbam* & schedulam turpis fugæ. *Ego verò* (est ἐπίκρισις Freitagiana) *subitaneis & vehementibus sibi mutuo timoris & gaudii succedentibus affectibus, temperiem admodum alterantibus, & humores noxios procul dubio emoventibus curationem adscribo.* Repete historiolam supra dictam. (i)

§. 3.

In hectica, febribusque ardentibus.

(3) in hectica, febribusque ardentibus.

Non est *lac*, post *muliebre*, quod *hecticis* æquè conveniat ac *asininum*. *Hecticam* enim, si cu-

R 4

(i) S. II. P. I. c. 7. §. 2.

si curabilis, ad plenum curat. (k) Cautelas tamen circa usum lactis dabit Crausius in peculiari disputatione de hectica. (l) In *ardentibus* etiam febribus hoc *lacte* ægros purgabant Medici vetustiores. *Hippocrates* ait: (m) si ad hæc non aperiatur, *lacte asinino* cocto purgabis. *Galenus* (n) dicit: Coum in talibus febribus ad *lac asinæ* confugere, tanquam *tutissimum* medicamentum, cùm cetera omnia purgantia *acria* sint, illud verò *omnis acrimoniæ* expers, humiditate sola abundare, qua ventrem solvit.

obſerv. Sordidus iste rusticus *urinam*, ceu singulare præservans à contagio, commendatam sibi habebat: rens autem, perinde esse, seu ex homine brutové profluat ista, modò suam, modò *asininam* hausit, & voti factus compos aliis prædicabat remedium. De *urina* propria fidem faciunt alii. Quin & ego plurimos novi, qui in peste illa decennali, quæ Ducatum Prussiæ ab anno 1620. ad 1630. continuò afflixit, *urinam propriam* sine omni molestia manè jejuno stomacho hauserunt, & à contagio immunes permanserunt. (o)

(k) Avicenn. L. IV. tr. 2. c. 6. (l) habit. Jen. 1688. (m) L. IV. de ratione victûs in morb. acut. (n) in comment. (o) Beckher. L. I. med. microcosm. c. 9. p. 37.

CAP.

CAPUT V.

DE USU ASINI IN AFFECTIBUS ALIQUOT EXTERNIS.

§. 1.

In ranula & strumis.

STercus *asinin.* & mel. despumat. coq. q. v. in vino ad spissitudin. & impone sub mento in *ranula*. Idem spondet *stercus anserinum*. (1) in ranula & strumis *Cinis* ad discutiendas *strumas* commendatur, (p) cum oleo inunctus, nec non *ungula asin.* & cinis ex ea. (q) *Henricus Mackler.* deformi observ. *colli strumâ* insignitus, quæ vocem impediebat & respirationem, cujusdam consiliô, præmissô purgante, bis quotidie totam strumam oleo bufon. simplici inunxit, imposito cataplasmate è *fimo asinino*, capite talpæ unà cum dentibus incinerato, rad. aristoloch. rot. & urina propria confecto, quô intra menstruum spatium tumorem sibi molestissimum abegisse gloriabatur. (r) *Mauritius* Rothzahl/ cataplasma è fol. nicotian. recent. in alia *urina asinæ* bene macerat., admixto pulv. rad. vincetoxic., strumis quotidie recens applicabat non sine successu. De foliis *nicotianæ*

R 5 vide

(p) Schröd. l. a. pag. 269. (q) Macas. l. c. pag. 922. (r) Vid. tr. m. de talpa S. II. cap. 2. §. 3. pag. 146.

vide sis etiam *Borell.* (s) De *vincetoxico* autem ephemerid. Curiosor. (t)

§. 2.

(2) in alopecia & canitie

In alopecia & canitie.

Pulvis *lienis* cum sevo ursino & oleo ad crassitiem mellis redact. & illit. superciliis pilos mirè restituit. *Vrinam* capillum densare putant, admixto nardo fastidii gratia. *Samuel Sporer*, Med. Cand. ex MS. paternis commendat aquam è *stercore asinino*, qua locus crebrius lavandus est. ' Fortè *human. sterc.* indigitare voluit. (u) De *liene asin.* combust. Macas. (w) *Cinis genitalis* ejus à canitie vindicat, si rasis illinatur capillis. *Marcellus* ait, capillos & *barbas* nasci etiam glabro, si *lichenem asini*, h. e. collectionem duram, quæ est circa crura ejus, comburas terasque, & pulverem illum cum oleo veteri imponas. Hoc ita validum est, ut si mulieri inde maxillam unxeris, *barbam* ei nasci scias.

observ.

§. 3.

(3) in achoribus, furfuribus & pediculis

In achoribus, furfuribus & pediculis.

Dissolve *sterc. asin.* in aceto forti, & caput eo diligenter præfricatum inunge. (x) *Lepras* & *furfures* tollit *urina*, addito nitro circa canis ortum. Vidi mendicum contra *pediculos* particulam *caudæ asininæ* secum continuò gestantem.

observ.

(s) C. II. obs. 67. (t) Dec. I. ann. I. obs. 57. (u) Beckher. L. I. Med. micr. c. 10. p. 64. (w) l. c. p. 939. (x) Mizald, memorab. C. X. n. 932.

tem. De *digito hominis* mortui fidem nobis fecit *Hieron. Reusner.* (y) Hoc enim experimento milites ipsi testati sunt, se ab omni *pediculorum pulicumque* molestia liberos esse.

§. 4.

In pallore & maculis faciei, nec non graveolentia narium.

(4) in pallore & maculis faciei, nec non graveolentia narium.

Lac asin. illitum faciei gratum conciliat pallorem, (z) & maculas ejus tollit. Idem facit *fel*: ergo non potest eô carere, ut multi putant. Fit etiam ex *pinguedine* unguentum ad hujusmodi maculas. Puella rustica in Hassia *lentiginibus* faciem qs. obductam & deturpatam habebat, quæ, consiliô vetulæ, quotidie in aurora vultum *urina asin.* lavit, vesperi autem *aquâ rosarum.* Omnia ex voto *Lac & adeps* quoque in usu. Vel observ.

℞. albumin. ovor. num. XXIV.

lact. asinin. libr. duas. Destill. (a)

In *graveolentia narium* offert *Macas. urinam.* (b)

§. 5.

In scabie, pernionibus, & verrucis, seu callis.

(5) in scabie, pernionibus, & verrucis, seu callis.

Cœnum *asini urinâ* imbutum medetur *scabiei*; item *medulla asini*; imò sola *urina* scabiem tollit unguesque scabros. *Cinis asin.* cum oleo inunctus adhibetur in *pernionibus*, ad-

(y) in obs. med. à Velschio edit. num. 31. pag. 22. (z) Schröd. l. c. pag. 269. (a) Macas. l. c. pag. 930. (b) id. l. c. pag. 439.

obſerv. adque rimas cutis conſolidandas. *Unguis aſini* combuſt. & applicatus. (c) *Urina* cum luto illita. *Sebaſtianus* Krümmer / ludi pagani magiſter, multis dedit ciner. cancror. fluviat, & *ungul. aſin.* c. adipe porci in form. unguenti redact. De *unguento Schröderi* vid. ſuprà (d) De *ungula aſin.* Macaſ. (e) *Conrad.* Kohlbrenner / multis *verrucis* ſiniſtram manum obſitam diu habuerat. Cum verò *urina aſinina* aliquoties eam laviſſet, diſparuere omnes. Easdem pulſas novi ſolâ *fricatione ad cadaver humanum*, quod etiam *Stephan. Blanckard* notavit. (f)

obſerv. alia

§. 6.

In cicatricibus & ulceribus.

(6) in cicatricibus & ulceribus

Adeps cicatrices concolores reddit. (g) Urina exedentibus & humidis *ulceribus* utilis. *Suſanna* Döhnerin / ruſtica & robuſta mulier, *ulcus pedis ſiniſtri*, purgatô antè corpore morſulis in officina proſtantibus, mane ſeroque lavit *urinâ aſina*, in qua per noctem fol. ſalv. hort. inciſa macerârat, inſperſo tandem pulv. ariſtoloch. rotund. & brevî convaluit integrè.

§. 7.

In coſmeticis.

(7) in coſmeticis

Poppaea, Domitii Neronis conjux, quingentas ſecum ſemper *aſinas* fœtas duxit, ut ſuffi-

(c) Id. c. l. pag. 894. (d) Sect. huj. c. 1. §. 6. (e) l. c. pag. 915. (f) collect. med. phyſ. C. I, ob. 9. (g) Schröder. l. c. p. 269.

sufficiens lac haberet pro balneo. (h) *Lac* certè *asinin.* antiquissimum cosmeticum, quo de legi meretur *Jacob. Grand.* (i)

- - - lacte *fovetur*

propter quod secum comites educit asellas,

exul hyperboreum si dimittatur ad axim. (k)

Avia Dn. *Frid. Günteri Försteri*, Bibliothecarii Ducalis Altenburgi, destillabat ex *lacte asin.*, limonibus, pom. aurant. &c. addit. pullis columbin. planè niveis, aquam, ex qua *Johannis Philippi*, Ducis Saxon., conjux balneum sibi parabat cosmeticum. Ceterùm an Medico *Cosmeticen* exercere liceat, vide *Verulam.* (l) observ.

§. 8.

In venenis.

(8) in venenis

Ossa confracta & decocta contra *leporis marini* venenum dantur. *Stercus asin.* potum in vino contra *ictus scorpionum* salutare.

Et bibitus catuli sanguis, vel turpis aselli,

obtundit dirum virus *per viscera serpens.* (m)

Ridiculam curationem ex aliis affert *Wolfius*, (n) quam suprà tetigimus. (o) At nugæ sunt. Vide *Mizaldum.* (p)

§. 9.

(h) Plin. L. XV. cap. 40. (i) tract. de stibio p. 96. qui est annex. Dec. II. Eph. cur. ann. VI. (k) Juven. Sat. 6. (l) L. VI. de augment. scient. c. 2. (m) Ronſ. in venat. med. pag. 102. (n) de amulet. S. I. c. 2. p. 421. (o) S. I. c. 3. §. 19. (p) de secret. hortor. L. I. c. 13. p. 35.

§. 9.

(9) in morbis à fascino

In morbis à fascino.

Sanguis, (q) præsertim ex *auriculâ sinistrâ* extractus, *corium*, *testesque* ab aliis laudantur. (r) *Asinus* cùm animal alioquin iners sit, & ad actiones pigrum, prorsus tamen luxuriosum est, & ferè cœcum, de superfluitate naturæ, quam in libidine habet, *soleas* aut *ungulas* profert, ex quibus si *annulus* fiat, qui gestatur, *fascinationem* avertuncare perhibetur, eamque non quamvis, sed quâ viri velut ligati ad Venerem inutiles redditi sunt. Verisimile enim est, animi indolem in *ungulam* quodammodo demigrasse, unde gestanti στοργὰς & Veneris stimulos illæ excitare creduntur. (s) *Ronseus* etiam de *ungula onagri* nullâ nigredine tincti, *maleficia* averruncante agit. (t) Non minores vires imputat *Kiranus* (u) *annulo* ex *ferreo freno asini*, sine ignis adminiculo, facto & gestato: illum enim dæmonia fugare ait, quod itidem præstare statuit *annulum* ex *asini dextro pede* paratum. Subjungit idem ibidem hæc: *si quis dormierit, vel quieverit super* corium asini, *nulla dæmonia timebit, nec etiam gelo vel gillu* i. e. *striges, seu nocturnos occursus*. Quidam, ait *Israel Schmied*, (w) videbatur philtrum observ. hausisse, jubetur à vetula *soleas* sibi facere è *stercore*

(q) Schrôder. l. c. pag. 269. Macas. l. 2. pag. 404. (r) Id. Macas. l. c. pag. 201. (s) Ronseus epist. 22. pag. 66. (t) l. c. Conf. Portæ Mag. natur. L. II. c. 28. (u) in Kiran p. 89. (w) in observ. MS.

stercore asinino exsiccat, cum aqua hyperic. mist., & novos induere calceos, inque iis ad sudorem usque ambulare. Fecit, & liberatus est abs omni malo.



SECTIO QUINTA
Qua
OECONOMICA,
CAPUT I.
DE USU ASINI ALIMENTARI.
§. 1.

SCribit *Galenus*, (x) *carnem asininam* proximè ad *cervinam* accedere: & tamen alibi (y) damnat ùt pessimam, referens interim, (z) *Alexandriæ* incolas eâ vesci, qua de causa autem plurimos ibi esse *elephantiacos*, cui opinioni etiam inhæret *Bellon.* (a) & *Avicenna.* (b) Est equidē difficilioris concoctionis, nec adeò boni succi, memini tamen ex *Aristophane*, (c) Atheniensibus quoque fuisse in usu. Et *Athenæus*, agens de epulis *Persarum*, commemorat, eos *die natali* plura convivia parasse, inq; iis ditiores *asinum*, bovem, equum & camelum, totos in fornace assatos, apposuisse. Addit idem, *asinos* Regi mactari solitos. *Mæcenas*, referente *Plinio*,

Onophagi

Alexandrini

Persæ

Mæcenas

(x) lib. de attenuanti vict. ration. c. 7. (y) L. III. de alim. fac. (z) L. I. de alim. (a) L. II. Ephemerid. p. 187. (b) fen. 30, tr. 3. c. 1. (c) in Vespis.

Plinio, (d) instituit *pullis asinorum* epulari, qui multùm eo tempore prælati sunt *onagris*. Sed

Scythæ post eum interiit autoritas saporis. *Scythas* etiam fuisse *onophagos*, discimus ex *Clemente Alexandrino*. (e) De Bathyli egimus suprà. (f)

Belgæ De *Belgis* Lauterbachius JC. (g) ita:

Belgarumque *recens exornat fercula* fœtus,
solennes epulas quando parare solent.

Imo ipse *Apollo* voravit. (h)

caro onagri melior §. 2. *Asininam* bonitate carnis *onagri* longè superant, ideò carnem eorum per alvum citiùs secedere scribit *Cous* noster, (i) & Galenus (k) *cervinæ* proximam eam dicit, confirmante idem *Oribasio* (l) & *Xenophonte*, (m) qui disertè testatur, *carnes onagrorum*, quos in venatione ceperant, *cervinis* similes fuisse, at *teneriores*. Sed Plinius (n) *pullos* eorum commendat. Onagri *in Phrygia & Lycaonia præcipui*; pullis *eorum ceu* præstantibus *sapore Africa gloriatur*,

lalisio *quos* lalisiones *appellant*.

Cùm tener est onager, *solaq;* lalisio *matre*
pascitur; *hoc infans, sed breve, nomen habet.* (o)

Certè *onagrorum* carnem Persis in delitiis esse, tradit *Olear.* cum *Tavernirio*, *della Valle*, & aliis. (p)

§. 3.

(d) L. VIII. c. 43. (e) admonit. ad Græc. (f) S. IV. c. 2. §. 2. (g) in encomio asini (h) S. III. c. 8. §. 2. (i) L. II. de victûs ratione (k) L. III. de alim. facult. (l) collect. L. II. c. 28. (m) L. I. de expedit. Cyri (n) L. VIII. cap. 44. (o) Martial. L. XIII. epigr. 97. (p) vide illius Itiner. Persic. L. IV. c. 42.

§. 3. Obsessa *Veronâ* anno 1516. cum vix lentem fabamq; & panicea pultaria amplius haberent incolæ, equinam & *asininam* comederunt. (q) In nupera obsidione *Viennensi* anno 1683. Generosissimus Fortissimusque *Starenbergius*, cujus laudis & orbis idem erit finis, *carnem asininam* in macellis publicè divendi jussit. (r) Verona Vienna vorat asinos

---

CAPUT II.

DE USU ASINI DOMESTICO.

§. 1.

Stercus *asini* agris aptissimum: *urina* stercori admista vermes abigit malorum puniceorum. Ad fertilitatem hortorum *caput* usurpant coloni. Vidi arbores marcescentes, queîs cùm appositum esset *caput asininum*, bovinum, seu equinum, sensim refloruerunt, ramosque protruserunt fertiles. Tarentinus *ungulis* utitur pro esca ad capiendos pisces: etiam *stercus* in succo coriandri madefactum, & cum similagine in massas inescatrices formatum, ad trachuras melanurosq; capiendos prædicat *Ulysses Aldrovandus*. (s) stercoratio fertilitas arborũ ad capiendos pisces

§. 2. Ajunt, si *oves* in eodem morentur stabulo cum *asinis*, equis, mulabus, facilè fieri *scabiosas*, quod tamen experientiæ reclamat. Rusticus præservationis ergo sub præsepi tumularat *bufonem vivum*, suspenso in umbilico assertio vulgi,

S stabuli

(q) Aldrov. l. c. p. 163. (r) vide Boëtii Kriegshelm in der Belagerung dieser Stadt Beschreibung (s) l. a. p. 164.

stabuli serto ex *pulegio montano*. Istud verò non de nihilo est, quod *Mizaldus* habet, (t) si nimirum in utramque *aurem* silices rotundi intrudantur, manibusque apprehendantur, etiam *ferociores asini* mansvescunt, soleasque ferreas sibi affigi sinunt.

qui mansvescant asini

ad abigendos mures

§. 3. Amici *Försteri* nostri Parentes vivum *murem majorem* cum equiseto & *ungulis asininis* in prædio suo Trescha comburebant, uti docti erant ad fugandos *mures* istos, qui fumus quidem pepulit eos, sed non diu aut longiùs. Dixit mihi piscator ad Visurgim, *fumum stercoris asinini* abegisse ex casa omnes, quotquot venefica importârat, mures. Credat, qui volet.

CAPUT III.
DE USU ASINI MECHANICO.

§. I.

tympana

cribra

Tympana pelle obducuntur, quorum pulsus magna peditum agmina sequuntur, ùt equitum tubas. Fiunt etiam ex corio *cribra*. Hinc *Apulejus*: (u) *cadentes hinc inde miserum corium, nec cribris jam idoneum relinquunt*. Utile idem ad *soleas* & *calceos*, quos *incorruptibiles* penè dicit *Mizaldus*, (w) è *corio tergi*, quâ parte onera bajulare solet *asinus*, formatos. Nam nullo temporis tractu atteruntur, neque si per lapides quis perpetuò ambulet, aut per spinas; nimiâ tamē vetustate adeò durescunt, ut

calcei

(t) C. III. memorab. 229. (u) L. III. (w) C. XII. memorab. 1116.

ut ferri non possint. Apud Arabes è *pilis asininis* fiunt *panni*, & apud alios Orientales *tabernacula*. Sic enim *Leonhard. RauWolf*: (x) Den 29. als sich unsre Reisse mehr durch weite und dürre Heyden erstreckt/kamen wir endlich auf den Abend spat zu etlichen vieleň Zelten/welche mit groben Gewircken von Geiß- und Esels-Haaren bedeckt/ und fein ordentlich in Reyen nebeneinander aufgerichtet waren/daß man also dazwischen Strassen und Gassen sowohl als in Flecken und Märckten mochte ersehen. panni tabernacula

§. 2. Ex *oßibus*, demtâ medullâ, omnium optimæ fiunt *tibiæ*, quæ spiritû inflatæ cujusq; lyræ aut citharæ elegantissimos sonos superant. Mirum, *asinum*, animal stupidum, *ossa* maximè *tenuia* & *musica* habere. Quid mirâre igitur, musicam *asinis* tam esse familiarem, cùm in eorum habitet *oßibus*. Inde rectè dicimus; *asinus ad tibias*. Ex *dentibus* pulcherrimæ *tesseræ* formantur, quibus inter ludendum dolor omnis luctusque tollitur. Leo, cùm bello contra volucres suscepto copias suas recenseret, prætereunte *asino* & *lepore*, quasdnam ad res his uti posse speraret, urso interroganti respondit: *asino* tubicine, & *lepore* tabellario. tibiæ tesseræ

§. 3. Cùm Agrigentini vento infestarentur, vehementiori, *Empedocles* eum avertisse dicitur circumpositis urbi *pellibus asinorum* innumeris, quam rem ita narrat *Diog. Laërt.* Etesiis inventum Empedoclis

(x) Itin. oriental. P. II. c. 9. p. 107.

aliquando flantibus vehementer, adeò ut fruges corrumperent, *excoriari asinos* jussit, (Empedocles) factisque utribus, eos collibus & montium verticibus admoveri ad compellendos flatus, cessantibusque ventis, ab eventu rei, κωλυσάνεμον vocatum esse *Empedoclem*, *Timæus* tradit.

CAPUT IV.
DE USU ASINI SUPERSTITIOSO.

§. 1.

caput ad arcenda incommoda

TAgis præcepto *asini caput* præsepibus affigi solebat ruri ad arcenda *incommoda*, sic exponente *Joanne Britannico* (y)

- - *parvis frons area lectis*
vile coronati caput *ostendebat* aselli. (z)
Hinc caput *Arcadici nudum cute fertur* aselli
Tyrrhenus fixisse lares in limite ruris.

fascina tempestates

Veteres etiam *caput* floribus hortorum præfigebant contra *fascina*. Columella adversus *tempestates* id commendat.

superstitio monastica

§. 2. Ad superstitionem meritò retuleris istud monasterii *Fredelschemensis*, quo de *Letzner* ita: (a) Am H. Christtage hat man in diesem Kloster den Leuten als ein Heiligthum gezeigt der Stücken einen aus der Hilten / daraus Josephs Esel und Ochs zu Bethlehem / als Christus gebohren worden / gessen / und war

(y) sat. 2. v. 97. (z) Juvenal. Adde Rosin. L. III. A. R. c. 8. pag. 441 Jun. Moderat. Columell. L. X. de R. R. in hort. cultura (a) chron. Dassel. L. VII. c. 14. pag. 133.

war dieser Stock in ein grün seidnes Tuch gewickelt.

§ 3. Sunt, qui *ruditu asinino* rupta ova (si aviculæ incubent) credant. At ego id notare haud potui. Fracta autem vidit ova gallinacea ex adspersione urinæ calidæ caninæ *Israel Schmied in observ. MStis.* an ova rumpantur à ruditu?

CAPUT. V.
DE USU ASINI MAGICO.

§. 1.

SCribit ex Vincentio *Bodinus*, (b) duas in Germania hospitas fuisse sagas, quæ hospites solebant aliquando in bestias comutare. Cum itaque histrionicum quendam adolescentem in *asinum* vertissent, qui (ut erat rationis compos) voluptates mille viatoribus exhibebat, & magno emtus pretio à vicino. Ast cùm die quodam in proximum amnem sese mersisset, protinus formam antiquam recepit. Cras credo, hodie nihil, seu *Petrus Damianus* Leoni VII. Papæ dixerit, seu *Vlricus Molitor*, (c) vel *Majolus* (d) seu *Schottus*, (e) vel alii scripserint. Auritus testis *S. Augustinus* simile affert exemplum. (f) Vide quæ diximus alibi, (g) & junge, si velis *Kornmann.* (h) & *Misan-* onanthropia

 drum.

(b) in dæmonolog. p. 345. seq. (c) de Python. mul. p. 50. (d) T. I. dier. canicul. p. 72. & T. II. p. 324. (e) L. I. Phys. curios. c. 32. p. 114. seq. (f) L. XVIII. C. D. c. 18. (g) Zeitkürtzende Lust P. II. them. p. 808. seq. lycograph. curios. S. IV. c. 2. §. 4. (h) de mirac. vivor. p. 189. edit. Francof. in 8.

drum. (i) *Onanthropiam* tamen hodie frequentissimam esse, lepidè evicit autor epist. jocoseriæ de *lycan-* & *onanthropia* ad V. A. L. (k)

relatio monastica §. 2. *P. Blasius Horam* transiens, per multos ambages tandem venit *Elsen*, ubi narravit *F. Mauro*, sibi extra villam circa decimã nocturnam obviam processisse *asinum* valde magnũ, & *auribus ultra ulnam longis*. Quem cum conspiceret P. *Blasius*, territus rosarium è sacculo protraxit, & clarâ voce recitavit. Spectrum verò in rabiem quasi actum, magno saltu super confratrem istum saliebat in foveam, & non amplius visum est. Ex hoc terrore diuturnus oriebatur morbus, & nescio, an servatus sit ille. *Hora* fluvius est, quo de *Engelhusius*. (l) *Aulica* verò, Elsen/ oppidulum in Diœcesi Hillesheimensi, ubi cathedram primariam primùm ponere voluit Ludovicus Pius. (m) Ita ex *antiquo diario*.

alia §. 3. *Philippo Bello* Rege quidam laicus, seu conversus, ùt vocant, monasterii vallis *Sarnariæ*, nomine *Adamus*, paulò ante natalitia festa summo mane, ad monasterii negotia peragenda, unà cum famulo se in viam dederat eques. Offert ei se in via *arbor ingens*, gelu & pruinis obsita, ad ipsum properans, quasi conferre gradum & corpus cupida. Equus perterritus caput retrorsum flectit, & viam remetiri, quã peregerat, conatur. *Adamus* ingenti labore equum

(i) in deliciis bibl. V. T. quæst. 157. (k) script. & edit. Francof. 1684. (l) chron. p. 153. (m) Idem l. c. p. 161.

equum retinet, & calcibus porrò cogit. Propinquior ut arbori fuit, illa confestim evanuit ex oculis, odore tetro ac sulfureo relicto. Argumentum inde ducit *Adamus*, dæmonicum esse spectrum, seq; Deo precibus comendare satagit, nec iter intermittit. Paulò post respiciens videt *nigrum quendam Virum*, equo insidentem, se subsequi, cui subiratus: *quomodo*, inquit, *infelix & damnate audes me his technis aggredi, abi, quantum potes, nulla tibi mei curatio, nil in me possides.* Abit malus, sed ecce mox redit, similis viro, *gracile & protensum collum* habenti. *Adamus* tot molestias pertæsus, gladium, qui ad ephippium ligatus, stringit, & ense ter quaterve per aërem vibrato, aëreque propter celerem divisionem sibili sonũ edente, conatur abigere spectrum. Hoc verò subitò personam mutat, & sistit se staturâ *mediocris Viri*, cui caput cappâ & scapulario monachi corpus ornatũ, oculi scintillantes instar chalybis, vel æris radiis solaribus oppositi. *Adam* punctim hostem aliquoties petit, sed irritis & cassis ictibus, aëreq; cedente. Tum majori despectu & irrisione dæmon induit formam *asini*. Perterritus famulus hero svadet, gladio *circulum* in terra ducere, & in circuli medio *crucem Dominicam* efformare. *Adamus* consiliũ exequitur, verùm Veterator non destitit. Mutat *auriculas asini* in cornua, & sic minabund⁹ irrumpere in circulum se velle simulat. Denique lusus jam satur in rotam severtit, & seipsũ

volvens

volvens monachum invadit, ſuperque illum continuâ latus rotatione(ſic videbatur) tranſit circulum,&c,monacho prorſus illæſo, conſpectum fugit. Fidem rei fecêre longa famuli terrorem conſecuta ægritudo, & diuturnus fœtor veſtium Adami,& raucedo ejusdem ac difficilis reſpiratio, à quibus ægrè convaluit, equi denique ſubita mutatio, qui ex manſveto & cicure poſt viſionem hanc ferox, ſternax, calcitro ſusque eſſe cœpit.(n)

alia §. 4. *Vlricus Mant Win*, Hüxarienſis, monachus Bursfeldenſis, cætus Benedictini, (o) commemorat,*VVarnerum*,Abbatem ad *fontem Amelungi* Ordin. Ciſtercienſis, circa annum 1151. noctu aliquando ſine famulo, ſine ſodalitio,ex vicina *Bevera* ad monaſterium ſuum rediturum, occurrentem ſibi *aſinum* vidiſſe, inque eo ſedentem grandævum militem gladio evaginato terribilem, qui quidem tacuit, at ſpectrum beſtiale dixit Prælato: *VVarnere, quia optimè me ſemper paviſti, vadas in pace*. Habuerat *aſinam*, cujus lacte utebatur omni mane, eiq; ſæpius dederat ſimilagineos panes,ut lac eò candidius & melioris ſaporis virtutisq; fieret. Vixiſſe *VVernerum* iſtum eo anno in cœnobio, verùm eſt. Sequente enim *Henrico*, Moguntino Præſuli,in exilio Einbeccæ mortuo, monumentum poſuit,teſte *Letznero*, (p) at cetera fabulam olent.

§. 5.

(n) Delrius L. II. disquiſit. magic. quæſt. 27. Sect. 2.
(o) in chron. Amelunxborn. MS. (p) chron. Daſſel. L. VI. Part. I. c. 16.

§. 5. Refert tamen Schottus (q) ex ore Cornæi, Padebornæ fuisse Virum primarium, & Summæ ædis ibidem Canonicum, qui equo generoso, quem habebat & impensius amabat, vinum adustum largiùs identidem propinabat. Moritur autem non multò post equus, nullo prius morbi aut defectûs signo deprehenso. Suspicatur Dominus, maleficio interfectum, & ariolum, (den weisen Mann) urbe ab Episcopo antea proscriptum, clam vocatum rogat, indicet maleficum, qui equum occidisset. Spondet facturum ariolus, additque, procuraturum, ut coram sese spectandum exhibeat. Discumbitur interim. Rogat ariolus, num jam videre allubescat maleficum? lubet, inquit Canonicus. Pulsatur ostium, monetur à vate, adesse, quem cuperet; jubetur ingredi. Intrat mox spectrum, ipsissimum Canonicum vultu, habitu, incessu referens. Quæritur, quis equum occiderit? respondet spectrum: is occidit, qui vinum adustum propinavit, & cum dicto disparuit. Quid tales umbræ, seu spectra sint, disquirit Cl. Grüneberger. (r) Rumor olim erat Lipsiæ de spectro nocturno, in forma asini tripedis viso. Audio verò ab Amico Misnico, studiosum fuisse harum nugarum autore, istumque nunc Vice Colonelli munere fungi in exercitu Britannico.

hist. notabilis

spectrū nocturnum Lipsiæ.

Annectere volui duo posteriora hæc capita Sectioni oeconomicæ vel ideò, quòd haud rarò ad superstitionem proni Patresfamilias securè hujusmodi adhibeant. Tibi autem Domine

GLORIA IN EXCELSIS!

(q) Lib. citat. p.m. 211. (r) disp. de umbra cap. 1. §. 12.



ADDENDA.

Ad Section. IV. Caput primum.

CRanium *asini*, & hepar, & lac ejus inter *antepileptica* refert Cl. *Barbette L. I. Prax. c. p.* 8. Dn. *Casp. Bartholini*, S. Theol. Med. & Phil. D., ac Prof. Regii in Inclyta Universitate Hafniensi, *pulvis antepilepticus nobilissimus & certissimus*, ùt D. *Phil. Müller.* in *myster. & miracul. Medico-Chym.* p. m. 68. seq. *vocat*, hic est:

℞. cranii human. nunquam humat. & combust.
ossium humanor. combustor. ana unc. sem.
pulv. ossium lacertar. magnar. & virid. drachm. duas,
visci quercini,
pœon. maris rad. & sem. decort., Lunâ decrescente collect. an. drachm. un.
Antimon. præp.
ungul. alcis *& asini* an. drachm. sem.
sacch. albiss. unc. quatuor.

Pulverisanda pulverisentur subtiliss. & f. pulv. Dosis drachma una cum aqua destillata ex CC. recenti quod primò nascitur, & mista cum aqua flor. tiliæ & lilior. convall. dupla quantitate. Qui volet, bibat etiam cum aqua hirundin. seu picarum. *Petri Hispani* aqua ophtalmica, quam transcribit *Beckher, L. I. Microcosm. Med. c. 9. p. 52.* hæc est;

℞. Sem. fœnicul.
petroselin.
apii
sileris mont.

anisi

Sem. anisi
carvi
gallitric.
Rad. chelidon.
acori,
Herb. betonic.
agrimon.
tormentill.
rut.
verben. an. part. æqu.

Terantur & ponantur primo die in urina pueri virginis, secundo in vino albo, tertio in *lacte* mulieris, seu *asinæ*, quartô destillentur hæc omnia, & serventur ùt balsamum, & obtura vas, ne quid exspiret. Visum acuit, & oculos clarificat, & maculas delet. Novi molitorem, scribit mihi D. D. *Schopf*, qui parvulis suis *epilepticis pulmonem asini* assatum non sine successu dedisse fertur.

Ad Section. IV. Cap. secund.

A rustico Mihlano nuper dicici, *linguam pulmonemq; asini*, in clibano siccatum & pulverisatum, in *tussi inveterata* eximium esse remedium, in jusculo chærefolii crebrius sumtum, idque experientiâ Avi sui materni prolixius probabat. A nutrice habeo, *splenem asini* pulverisatum, cum aqua simplici mixtum, & mammis impositum *lactis copiam* fecisse. Num ab *asino* delapsæ sit, ἀπ' ὄνε, seu ἀπὸ νε̃, tute judicabis.

Ad ejusd. Section. Cap. tert.

Nobilis Matrona ex *sanguine asinino* in usum mariti sui *nephritici* destillârat aquam, cujus virtutes non potuit satis prædicare D. D. *Dahlbornio*, haud negle-

ctis tamen aliis ex methodo præscriptis. *Vrinam asini* in calculo renum & vesicæ comendat *Frid. Hofmann. in Clave Schröderiana L. 5. p. 643.* *Splenem veteris asini* lienosis summum remedium esse, D. D. *RosenWald* sequente confirmat historiâ. Cum adhuc in Ducatu Westfaliæ morarer, parochus quidam paganus duos coëmit *asinos*, exque iis *lienem* in vino prius lotum lento igne exsiccavit, &, præmissis universalibus, de eo quotidie in aurora sumsit drachmas duas in jusculo ex fumaria & floribus borraginis cum vino parato. Vix mihi credes, quanto cum levamine. Qui enim antea magna cum difficultate, nec sine dolore punctorio, verba faciebat ad populum in sacra cathedra, postea sine ullo impedimento munere suo fungebatur feliciter, quod ex ore Ejus bonâ fide Tibi narro.

Ad ejusd. Section. Cap. quart.

Post varia remedia, ex *asino* depromta, quæ *Plinius* dabit *L. XXVIII. c.* 10. 12. 15. *&* 16. *seqq.* novum suppeditavit *Jacobus* Sommersaat/ ex *asino equus*, i. e. obscurissimo parente Vir eximius, qui in *febri quotidiana* tandem duos scrupulos *sanguinis asinini* cum vino hausit ante accessum febrilem, cum præsentissimo levamine.

Ad ejusd. Sect. Cap. quint.

Dixit mihi superiori septimanâ *Joh. Frid. Zangius*, (qui tandem ab *asinis ad boves* transcenderat,) cùm nuper in diversorio pagano cubitum iturus *laneum pannum*, eumque *candidum*, *lacte asinino* imbutum, in lecto repetisset, rogasse Hospitam Westfalam, hoc quid sibi vellet? illa subridens dixit: bonâ intentione feci, & hoc nisi fecissem, vix quiescere poteris hac

nocte.

nocte. Myriades enim *pulicum* in hac camera ſunt, quos hujusmodi *panno* pello. Ajunt alii, ſi quid *lacte aſinino* inungas, omnes ibidem congregari *pulices.*

Ad Section. V. Cap. ſecund.

Suffitus ex *pulmone aſinino* ædes ab omnibus venenatis vermibus repurgaſſe dicitur.

Ex literis *D. D. Damperi*, Lovan. 5. Jan. ſt. n. mihi inſcriptis.

Licet ad illuſtrandum *aſinum* omnes Naturæ loculos excuſſeris, ut tamen voto tuo ſatisfiat, pauculas è multis affero hiſtoriolas plebejas, doctrinam ſaltem *Plinianam* confirmantes. *Cornelia Garderin*, mulier tenerrimæ texturæ, creberrimis *capitis doloribus* afflicta, ociùs eos ſedabat aquâ abs *aſina* potu in amphora reſidua, intus ſumtâ, ùt ipſe olim vidi. Antiquum remedium hoc, nec *Plinio* ignotum. *L. XXVIII. c.* 11. Aliquot novi, qui *fimum aſini incineratum* cum vino rubro felici cum ſucceſſu in *dyſenteria* patriæ meæ univerſali bibebant, dudum quoque à *Plinio l. c. cap.* 14. commendatum. Affinis mei filiola à *quotidiana febri* in decimam usque ſeptimanam emaciata, juſſû vetulæ tandem accipit *tres guttulas ſanguinis aſinini* in aqua florum ſambuci, è *ſiniſtra aure*, & protinus iſto die ceſſabat *febris*. Conf. *Plin. lib. dict. c.* 18. Varia contra *caducum* remedia *aſinina* vide ſi vacat apud *eund. lib. cit. c.* 16. ſcilicet ex *ungulis* & *teſtibus* compoſita. A *cerebro aſini* in umbra exſiccato, & in convenienti vehiculo, largiori doſi, ad dies aliquot, in aurora dato, eundem morbum valde ſufflaminatum novi in juvene *Arensbergico*. Solum *hepar* in tenuiſſimum pulverem redactum Moniali, *fluxu hepatico* laboranti dedit in Patria

tria Medicus, etiam feliciter. *Plin. lib. cit. c.* 13. addit duas partes *petroselini*, *nuces* tres, & *mel*, in jecinoris dolore &c. Cetera à tua expectabimus crena.

Et Nobilissima virgo solo succo è *sterc. asinino* expresso, & cum aquâ fragorum dato, ocissimè *fluxum mensium* nimis *immodicum* constrinxit, ut *Rodericus à Castro* haustulum suum, ex succo *stercoris asin.*, sirup. myrtin. an. unc. sem. & aqua plantag. drachm. tribus paratum, non immeritò magni semper fecerit. *Conf. D. Dolai Encyclop. med. L.V.c.* 4.*p.*261.



INDEX ONOGRAPHIÆ GENERALIS.

SECTIO PRIMA.

Quæ *Theoretica*, eaque

PHILOLOGICO-PHYSICA.

SECTIO SECUNDA.

Quæ Historica

Cujus pars prima agit de usu Asini

POLITICO-TOGATO.

Pars Secunda agit de Vſu

POLITICO - SAGATO.

SECTIO TERTIA.

Continens S A C R A.

SECTIO QVARTA.

Quæ *Practica*, seu MEDICA.

Continens usum asini specialem tàm internum, quàm externum.

SECTIO QVINTA.

Quæ OECONOMICA.

FINIS.